UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tyrocinium Artis Oratoriæ Sacræ Et Profanæ

Moine, Joseph

Solodori, 1714

urn:nbn:de:hbz:466:1-68834

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

X
V 35. Th. 5805.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TYROCINIUM ARTIS ORATORIÆ SACRÆ ET PROFANÆ,

In quo dilucidè explicantur, & exemplis additis complanantur, quæ, præsertim Tyronibus hujus Artis, solent negotium facessere.

Auctore P. Josepho Moine
è Societate JESU.

Colleg. S. J. Paderb.



SOLODORI,
Typis Ursi Heuberger.

Anno M. DCC. XIV.
Cum facultate Superiorum.

ILLUSTRISSIMIS

AMPLISSIMIS AC PRÆNOBILIBUS

DOMINIS, DOMINIS

PRÆTORIBUS,

VEXILLIFERO,

QUÆSTORI,

Cæteríſque Inclytæ & antiquiſſimæ

Reipublicæ SOLODORANÆ

SENATORIBUS.

SI ex aliorum more hanc quoque lucubrationem alicui Patrono inſcribere voluimus, non diu circum-

cumſpicere neceſſe fuit, cuinam potiſſimùm dedicanda ſit. Vobis præcipuè, Viri Illuſtriſſimi, illa nuncupari debuit, ut è præfixo ſaltem Nomine Veſtro lucem mutuetur, qua alioquin careret: & offerri debuit à nobis, quos ad hoc tot nomina invitant. Annus jam volvitur ſextus ſupra ſexageſimum, ex quo dignati eſtis minimæ Societati noſtræ intra mœnia Veſtra domicilium indulgere, atque in aperto bonarum artium Gymnaſio quod in terris chariſſimum habetis concredere, liberos videlicet Veſtros, ut hi nobis dirigentibus pro Patriæ bono togatæ Palladi à teneris aſſueſcant,

dum

dum per ætatem liceat ſagatam quoque colere in acie, ejúſque ductu Palmas ad æmulationem Parentum promereri. Ex eo tempore non deſiiſtis aſſidua ſpecialíque cura Veſtris obſequiis addictos confovere, &, ut eſtis cõmunes Patriæ Patres, eos eximiis, nec unquam interruptis, beneficiis cumulare, quos publicæ utilitati conſecratos, pro animi Veſtri Magnitudine nimiùm grati, agnoſcitis. Verſatur nobis quotidie ante oculos, quantopere Vobis obligemur: quoties enim vel liberaliter ſuppeditata è Ditionibus Veſtris pro alendo hoc numero Sociorum media, vel Templum magnificè

ficè recèns exſtructum, vel Collegium non ad habitationem ſolùm virorum Deo dicatorum, ſed ad ſplendorem uſque excultum, recolimus, toties velut prægrandibus notis exaratos titulos perlegimus, quibus ex integro Vobis obſtringimur. Poſtulabat itaque jam pridem à nobis devinctiſſimis æquitas, ut quorum accepta beneficia palàm omnibus perſpecta ſunt, eorum etiam gratitudo non intra animos tantùm reconderetur, ſed publica inſuper teſtificatione innoteſceret. Suſpendimus quidem eum in finem hincinde in Templo, in Collegio, in conclavibus ipſis Arma & Inſignia Ve-

ſtra, ut his veluti ſigillis non modò apertè profiteremur, undénam tot, quibus incingimur, dona nobis provenerint, ſed ſimul teſtamur, iiſdem amorem noſtrum ac perpetuum gratitudinis debitum obſignatum: quia tamen hæ, tot licèt numero, imagines nondum ſatìs animi noſtri ſenſa explicare videbantur, civi tandem Veſtro is honor reſervabatur, ut reliquorum interpres in libello omnibus, ad quorum is manus perventurus eſſet, manifeſtum faceret, quàm non tantùm agnoſcamus Veſtra beneficia, ſed agnoſci ubique cupiamus Vobis à tot annis obſtrictiſſimi. Unica res id agentes

terret,

terret, ne videlicet, dum aliqua ratione satisfacere conamur officio, tam exile Vobis opusculum offerendo potiùs offendere possimus. Simul tamen exquisita Vestra, tótque argumentis comprobata humanitas nos erigit, qua tenuibus etiam nostris contenti esse non dedignamini. Cæterùm placiturum Vobis operis argumentum non dubitavimus, quorum non semel curam advertimus in juventute honestissimis illiciis ad hanc præsertim, quæ in isto libello tractatur, artem dirigenda, ne unquam Reipublicæ desint boni Oratores, qui vel sacras Exedras solidâ facundiâ exornent, vel Curiæ

riæ negotiis ſuo tempore præficiantur. Iſtum in finem ſi quid hæc opera contribuere poſſit, ejuſdem pretium ſat amplum nos retuliſſe arbitrabimur, quòd Veſtris conatibus allaborando futura Reipublicæ Veſtræ inſtrumenta nonnihil adjuvare licuerit, ut, quod ſummis votis exoptamus, conſtanti incolumitate ac felicitate perfruatur.

Illuſtriſſimis & Ampliſſimis
Dominationibus Veſtris

addictiſſimum Collegium
S. J. Solodoranum.

FA-

FACULTAS
R. P. Provincialis.

Typocinium Artis oratoriæ ſacræ & profanæ, à P. Joſepho Moine Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, & à Cenſoribus ad id conſtitutis approbatum, Ego Matthæus Peckh Societatis JESU per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, facta mihi poteſtate ab Admodum Reverendo Patre Noſtro Michaële Angelo Tamburino, ejuſdem Societatis Præpoſito Generali, in lucem dari permitto. In ejus rei fidem Auctori chirographum hoc dedi, manu mea ſubſcriptum, atque officii mei ſigillo munitum. Euſtadii, 12. Februarii 1714.

MATTHÆUS PECKH S.J.

AD

Ad Lectorem.

Miraberis, amice Lector, operæ pretium mihi videri potuisse, in hoc argumento tractando calamum occupare, postquam tot numero libri jam in eodem præclarè versati sunt. Num sperabam, me novi aliquid allaturum? An aliqua circa hanc Artem antiquissimam nova proferam, Lectori judicandum relinquo; multò meliora edita fuisse ab aliis judico, & fateor. Neque ista scribenda suscepi, tanquam usûs publici aliquando futura, sed ut brevi compendio discipulis, ita cupientibus, legenda serò tandem porrigerem, quæ iisdem prolixiùs in explicanda Rhetorica pluribus annis exposui, ut olim ad publicè dicendi munus adhibendi revocare in animum opportunè possent, quæ fortassis altiora studia tractantibus exciderunt. Sed cùm hac occasione ad aliorum quoque manus iste libellus perveniisset, à pluribus expetitus est. Recténe, an secus, ii viderint, qui postulârunt. Id solùm mihi vitio verti potest, quòd rem tenuem vel sic aliis tradi-

tradiderim. Si qua meis similia apud alios invenies, meminisse placeat, quòd præcepta scribam, quæ & alii ab antiquioribus hauserunt. Cur erubescerem aliqua ex illis mutuari, ex quibus didici? Minimè tamen aliena tantùm me corrasisse deprehendes; quod ne facerem, aliquoties libros, magis cuique obvios, allego, iis præsertim in rebus, quas ex scholis satis notas existimavi. Alicubi Latium desiderabis: ego verò malui verba carpi, quàm rem à non paucis minùs intelligi. Plura non addo, tantum de tua benevolentia confisus, ut ignorantiam aliósque defectus meos abunde tua humanitate supplendos credideris.

IN-

****

INDEX
Librorum & Capitum.
LIBER I.

De prima parte Eloquentiæ, seu de Inventione.

CAPUT 1. De iis, quæ artem oratoriam universim concernunt. pag. 1
2. De partibus Orationis generatim, quæ inveniri debent. 5
3. De Locis oratoriis. 9
4. De inventione propria generibus Judiciali & Deliberativo. 30
5. De inventione propria generi Exornativo. 32
6. De Amplificatione rerum. 38
7. De inventione Affectuum voluntatis in genere. 43
8. De inventione Affectuum voluntatis in specie. 48
9. De inventione Amplificationis verborum. 66
10. De Argumentatione & ejus speciebus. 71
11. De modis variandi Argumentation. 79
12. De variis modis Transitionum. 81
13. De Amplificatione verborum in specie, & imprimis de ipsius natura, verbisque ad eam idoneis. 87

14.

14. De Amplificatione per Locos Rhetoricos & Figuras. 90
15. De Theſi, Hypotheſi, & Loco communi. 95
16. De Chria. 99
17. De Hiſtoriis & Eruditionibus. 101

LIBER II.

De ſecunda parte Eloquentiæ, ſeu de Diſpoſitione.

CAPUT 1. De iis, quæ generatim ad Diſpoſitionem pertinent. 105
2. De Exordio. 110
3. De variis modis Exordiorum. 118
4. De Propoſitione totius Orationis. 123
5. De Partitione. 128
6. De Narratione. 136
7. De Confirmatione & Confutatione. 140
8. De Peroratione. 145

LIBER III.

De tertia parte Eloquentiæ, ſeu de Elocution.

CAPUT 1. de his, quæ univerſim ad Elocutionem ſpectant. 149
2. De Stylo oratorio. 152
3. De Periodo & ejus partibus. 160
4. De Numero oratorio. 169
5. De Tropis. 175
6. De Figuris in genere. 183
7. De Figuris verborum, quæ fiunt per Adjectionem. 187
8. De Figuris verborum, quæ fiunt per De-

Detractionem. 191
9. De Figuris verborum, quæ fiunt per similitudinem vocum. 193
10. De Figuris sententiarum. 198
11. De quibusdam aliis Figuris, aut modis Figurarum. 213

LIBER IV.

De quarta part. Eloquentiæ, seu de Memoria.
CAPUT 1. De natura, utilitate, & exercitatione memoriæ. 220
2. De adjumentis & impedimentis memoriæ. 223

LIBER V.

De quinta parte Eloquentiæ, seu de Pronuntiatione.
CAPUT 1. De Pronuntiatione in gener. 227
2. De prima parte Pronuntiationis, seu de Moderatione vocis. 228
3. De secunda parte Pronuntiationis seu de Moderatione gestûs. 237

LIBER VI.

De Exercitio Artis oratoriæ, sive de variis modis orationes, præsertim sacras, ex hactenus traditis præceptis componendi.
CAPUT 1. de requisitis ante scriptionem orationis. 244
2. De majore & minore bono. 249
3. De usu hujus doctrinæ in orationibus generis Deliberativi & Exornativi. 258
4. De genere Panegyrico & variis ejusdem speciebus. 261

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

5. De artificio componendi sermonis panegyrici. 269
6. De copia & inopia materiæ in Panegyricis. 278
7. Paradigma 1. orationis, quales vulgò fiunt, sine argumentatione. 283
8. Paradigma 2. Orationis factæ per argumentationes, atque imprimis per Syllogismum, totius orationis fundamentum, ac tum per particulares argumentorum argumentationes. 292
9. Paradigma 3. Orationis, in cujus Syllogismo Major & Minor indigent probatione. 305
10. Paradigma 4. Argumentationis primariæ per Enthymema factæ. 319
11. Paradigma 5. Amplificationis per Inductionem & per Exemplum. 327
12. Paradigma 6. primariæ argumentationis per Soriten. 337
13. Paradigma 7. Orationis dilatatæ per Dilemma. 344
14. Paradigma 8. Amplificationis primamariæ per Collectionem. 352
15. Paradigma 9. geminæ Orationis panegyricæ, cum argumentat. factæ. 358
16. Paradigma 10. Orationis, quæ concurrenti geminæ solennitati congruit. 375

TYROCINIUM ARTIS ORATORIÆ.

LIBER I.

De prima parte Eloquentiæ seu de Inventione.

CAPUT I.

De iis, quæ artem oratoriam universim concernunt.

1. QUis est finis artis oratoriæ? Resp. Cùm hæc sit ars bene dicendi, sive ars optimis sententijs verbísque lectissimis dicendo persuadendi Auditores, finis ipsius est, dictione persuadere imprimis Intellectum audientium allatis rationibus, ut credant, verum esse, quod Orator in sua Propositione affirmavit; ac deinde Voluntatem, ut illud etiam velint. Hæc duo sibi præfixa esse Orator meminerit, ut suo munere debitè fungatur, Finis artis oratoriæ.

Quid & quotuplex propositio.

II. Quid & quotuplex est Propositio oratoria ? Resp. Propositio est Quæstio, argumentum, propositum, scopus totius orationis, ad quem rationibus stabiliendum, & voluntati inculcandum, reliquæ ipsius partes referuntur. Duplex autem principaliter est Propositio seu Quæstio : *Infinita*, græcè *Thesis*, qua quæritur aliquid in genere, Ut : *An virtus præstet Arti ?* & *Finita*, græcè *Hypothesis*, qua quæritur aliquid cum adjunctis particularibus, seu circumstantijs, ut vocant, V. G. *An virtus liberalitatis possit exerceri etiam à pauperibus ?* Ubi vides circumstantias virtutis particularis, & determinatæ hominum speciei. Utraque rursus hæc Quæstio potest esse meræ *Cognitionis*, seu *Speculativa*, cujus finis est præcisè aliquid cognoscere, Ut : *Plúsne passus sit Christus in corpore, an in animo ?* Vel *Actionis*, seu *Practica*, cujus finis est opus, sive actio, Ut: *An frequenter sumenda sit SS. Eucharistia ?* Debent autem Propositiones orationum, præcipuè sacrarum, ordinariè esse finitæ & practicæ, aut, si sint infinitæ & speculativæ, per decursum orationis reduci ad particularia adjuncta & actionem, alioquin modicam utilitatem habent. Frustra E. G. terribilia quævis rationum pondera, & SS. PP. ac Conciliorum sententiæ afferuntur ad demonstrandam necessitatem Pœnitentiæ in genere, nisi ostendatur, qualis, quo modo

do &c. sit agenda. Neque ipsi Auditores ita genericè proposita sibi ad actus particulares solent applicare. Quàm iisdem tædiosa quoque sit talis generica graviſſimarum Fidei veritatum tractatio, quisque fortaſſis, qui talia audivit, suâ experientiâ didicit. Cavendum tamen, ne in ejusmodi applicatione ita descendatur ad personas particulares, ut designari ac traduci videantur. Præcipuè verò vitandum, ne Magistratus, seu sacri seu profani, etiam tacitè solùm, reprehendi ac sugillari existimentur. Placent hæ reprehensiones quandoque plebi; sed dici non potest, quot damna generent.

III. Quot sunt Orationum genera, in quibus dictæ Quæstiones instituuntur? Resp. Communiter tria nominantur: *Judiciale*, *Deliberativum*, & *Exornativum*. In primo accusamus aut defendimus, in secundo suademus vel dissuademus, in tertio laudamus vel vituperamus. Est, qui orationes sacras ad alia tria dicendi genera revocet: ad *Instructivum*, quo rudes docentur Fidei Mysteria, ut fit in iis, quibus Sacramentorum dignitas, usus &c. explicantur, aut controversiæ Fidei contra hæreticos agitantur; *Morale*, quo virtutes & earum exercitium particulare suadentur, aut vitia dissuadentur; *Exornativum*, quo laudes alicujus Sancti exponuntur.

Quot sint genera orationum.

Primariæ partes Eloquentiæ.

IV. Quæ ſunt primariæ partes Eloquentiæ? Reſp. Quinque: Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronuntiatio. *Inventio* eſt excogitatio rerum verarum aut veriſimilium, quæ probabilem reddant Propoſitionem Orationis; & verborum, ad res exprimendas idoneorum. Per *res* hîc primariò intelliguntur argumenta, ſecundariò verò cætera, in ſequentibus hujus Libri capitibus afferenda: per *verba* ornatus orationis. *Diſpoſitio* eſt rerum inventarum in ordinem diſtributio. *Elocutio* eſt idoneorum verborum ac ſententiarum ad res inventas accommodatio, pro ſermonis elegantia & audientium delectatione. *Memoria* eſt ſingularum orationis partium firma & ordinata recordatio. *Pronuntiatio* eſt Vocis ac Geſtûs in proferenda oratione cum dignitate moderatio. Atque iſtæ quinque partes hoc & ſequentibus deinceps Libris explanabuntur.

Quæ faciant bonum oratorem.

V. Quænam juvant, ut quis bonus Orator evadat? Reſp. Quatuor. *Natura*, ſeu commoda aliqua eloquentia naturalis; *Ars*, quæ naturalem facundiam per ſua præcepta dirigit & excolit, ut meditata & ordinata dicendo certiùs vincamus; *Exercitatio*, in ſingulis primò ſeorſim orationis partibus, ac poſtmodum integris orationibus privatim componendis ac pronuntiandis, antequam aliquis publicè dicat ad populum.

lum. Laudatur in privato hoc exercitio imitatio Ciceronis in affini aliquo argumento, cujusmodi multa suppeditat Masenius in sua Palæstra Oratoria ; postremò denique *Imitatio* præstantiorum Oratorum, quos legimus vel audivimus, à singulis aliqua meliora discendo , putà ab aliquibus artificium Inventionis, ab aliis Dispositionem , ab aliis Actionem &c: modò id curemus, ne nimia quorundam admiratione decepti vitia imitemur.

CAPUT II.

De partibus orationis generatim, quæ inveniri debent.

1. QUid primum debet orator invenire? Quid initio inveniendum.
Resp. Nisi jam aliunde habeat sibi præfixum statum Quæstionis , sicut contingit in Causis forensibus , hunc procul dubio , velut scopum habendæ orationis, ante omnia quærere debet. Idque maximè in Concionibus sacris , ubi plerumque liberum est Oratori, argumentum eligere. Ut verò quæstio inventa meliùs tractetur , statim initio diligenter considerandum venit, in quo consistat ipsius *Crinomenon* , sive Crinomenon.
id , circa quod judicium Auditorum præcipuè occupabitur. Istud Crinomenon aliquan-

liquando idem est cum Propositione orationis, aliàs ab ea distinguitur. Idem cum ipsa est, quando hæc non habet unum aliquod argumentum principale, cui tanquam fundamento innititur, sed plura. Distinguitur Crinomenon à Propositione, quando hæc innititur uni tali primario argumento: tunc enim Crinomenon consistit in applicatione hujus argumenti ad statum quæstionis. Ut in Orat. Cic. pro Mil. Propositio est: *Milo jure occidit Clodium.* Argumentum unicum primarium, in quo Crinomenon consistit, est: *Quia Clodius insidiatus est Miloni.* Hoc enimvero probandum erat, ab hoc demonstrato victoria illius causæ pendebat, huc attentio & judicium Auditorum potissimùm ferebatur, ut judicent, Clodium jure fuisse occisum à Milone.

Unde petenda Propositio.

11. Unde petitur Quæstio sive Propositio Orationis? Resp. In orationibus generis Deliberativi & Exornativi, de quibus præcipuè & ferè unicè, ob causam inferiùs dandam, loquar, faciendum est discrimen. In concionibus sacris, quibus ex consuetudine præmittitur Lectio Evangelii illius diei, plerique sumunt locum aliquem ejusdem Evangelii, vel alium Sacræ Scripturæ, ex quo deinde occasionem doctrinæ moralis, vel Laudis alicujus Sancti, deducunt. Hunc locum Scripturæ interdum orator ipse sibi eligit, tanquam magis ido-

idoneum materiæ, quam declarare ſtatuit; aliàs locus ipſe materiam ſuggerit. In orationibus verò Funebribus & aliis panegyricis, quibus non præmittitur ſententia ex Sacris Litteris, aliunde propoſitionem orationis concipere oportebit. Modum & has & illas inveniendi dictabit ſedula lectio & meditatio, ex quibus adjuvante ingenio prodibunt propoſitiones, quarum methodum & exempla ſuo loco adducam.

Inventio partium oratio. nis.

III. Inventâ propoſitione quid ulteriùs inveniendum? Reſp. Reliquæ partes orationis omnes quidem, ſed ordine, quem ſubjungo. Cùm oratoris ſit perſuadere dictione; perſuadere autem ſit movere imprimis Intellectum, ut credat, eſſe verum, quod dicitur, & per hunc Voluntatem, cui Intellectus eſt inſtar oculi, invenienda ſunt 1. Argumenta, quæ faciant fidem, ſeu moveant intellectum. 2. Argumentationes argumentorum. 3. Amplificatio rerum pro ulteriore motu voluntatis. 4. Affectus ejuſdem. 5. Partes primariæ orationis, videlicet Exordium, Narratio, ſi qua ſit opus, Confirmatio, Confutatio, Epilogus. 6. Amplificatio verborum, de qua infra. 7. Ornatus Elocutionis, cujus tamen poſtrema ſit cura, primaria verò ipſarum rerum, contrà quàm non pauci hodie factitant, qui cùm toti ſint in exquirendo cultu verborum, & comenda dictione, argumenta neglectim habent.

habent. Itaque aures movent ad oblectationem, at nequaquam intellectum, multò minùs tangunt voluntatem.

Argumentum quid.

IV. Quid est Argumentum? Resp. Est ratio inventa ad faciendam fidem, hoc est, ad movendum Intellectum, ut credat, verum esse, quod affirmatur in Propositione orationis.

Quotuplex.

V. Quotuplicia sunt hujusmodi argumenta? Resp. Triplicia. Certa, probabilia, dubia, sed tamen verisimilia.

Certum.

VI. Quænam habentur pro certis? Resp. 1. Quæ sunt lumine naturæ nota, ut, esse Deum &c. 2. Quæ sensibus percipiuntur. 3. Quæ communi opinione sunt probata, ut, Parentes esse honorandos. 4. Quæ legibus cauta sunt, & usu recepta. 5. Quæ à SS. Litteris aut ab Ecclesia sunt definita. 6. Quæ Doctorum consensu constant. 7. Quæ etiam Adversarii concedunt. 8. Quæ sunt principia lumine naturæ nota, aut ad ea proximè accedunt, ut, non posse idem esse bonum & malum respectu ejusdem.

Probabile.

VII. Quæ sunt probabilia? Resp. Universim, quæ virum prudentem, si rem ritè penetret, possunt movere ad assensum, sive ut credat, esse verum, quod dicitur. Speciatim verò probabilia censentur: 1. Quæ ferè semper fiunt (& hæc dicuntur *firmissima*) ut, liberos amari à parentibus. 2. Quæ communi æstimatione propè certa sunt (& di-

dicuntur *propensiones*) ut, hodie sanum cras adhuc victurum. 3. Quæ habent simplicem speciem veritatis (& vocantur *non repugnantia*) ut, furtum ab eo factum in domo, qui in ea fuit.

VIII. Quæ sunt dubia & tamen verisimilia? Resp. Circa quæ, etsi non desit ratio credendi, æquè magna tamen occurrit in contrarium. Ut, qui sæpe pœnitens in gravia scelera identidem relabitur, nunquam aut rarò fuisse verè pœnitentem. Verisimile.

IX. Qualia debent esse argumenta? Resp. Meliora sunt utique illa, quæ certa; quia tamen pleraque talia non sunt, sufficiunt probabilia. Imò & verisimilia, cum istis allata, non carent sua vi ad persuadendum. Quæ argumenta sufficiant.

X. Unde sumuntur argumenta? Resp. Ex locis oratoriis, de quibus mox Fontes argumentorum.

CAPUT III.

De Locis oratoriis.

I. QUid est locus oratorius? Resp. Est argumentotum sedes. Sunt nempe certi fontes, & capita generalia, quæ nondum sunt argumenta, sed occasio, medium, & quasi index, unde expeditum ingenium pro quavis materia argumenta invenit. Quid loci oratorii.

II. Quotuplices sunt loci oratorii? Resp. duplices. *Intrinseci*, id est qui insunt rei, qui conjunguntur cum ipsa natura rei, quam Quotuplices.

tracta-

tractamus. Et *Extrinseci*, seu remoti, qui non insunt rei, sed quasi foris & aliunde assumuntur.

Ubi serviant. III. Pro quibus Causarum generibus ii serviunt ? Resp. Intrinseci pro omni genere Causarum; Extrinseci pro solo genere judiciali.

Intrinseci. IV. Quot sunt Loci Intrinseci ? Resp. Communiter isti sexdecim numerantur : Definitio, Enumeratio partium, Notatio nominis, Conjugata, Genus, Forma seu species, Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Adjuncta, Antecedentia, Consequentia, Repugnantia, Causæ, Effecta, Comparatio.

Alij loci oratorii. V. Solíne isti sunt idonei ? Resp. Alios, prædictis sæpe non minùs utiles, subjungo. *Pro genere deliberativo* potissimùm : 1. Utile, 2. Honestum, 3. Jucundum, 4. Facile, 5. Necessarium. *Pro genere Judiciali* 1. Leges, 2. Consuetudines patriæ, & municipales. 3. Contractus. 4. Promissiones. 5. Ratiocinium humanum. *Pro orationibus sacris.* 1. Sacra Scriptura. 2. SS. Patres. 3. Traditiones Ecclesiæ. 4. Sacra Concilia. 5. Historia Ecclesiastica. 6. Theologia Speculativa, Moralis, vel Polemica. 7. Meditatio, oratio, lectio sacra. 8. Apologi & Parabolæ. 9. Adagia, Parœmiæ, Gnomæ. 10. Symbola, Emblemata, Ænigmata, Hieroglyphica. 11. Sententiæ diversorum Scriptorum. 12. Eruditio. 13. Expositio varia alicujus sententiæ S. Scripturæ in sensu *Litterali* seu histo-

historico; *Allegorico*, quando verbis mysticis Ecclesia & ejus mysteria indicantur; *Morali*, seu Tropologico, dum verba illa ad mores informandos exponuntur; & *Anagogico*, per quem locutio explicatur ad futurum statum in altera vita, prout videre est apud Interpretes S. Scripturæ.

VI. Quot sunt Loci Extrinseci? Resp. Sex: Præjudicia, Fama, Tabulæ, Jusjurandum, Tormenta, Testes. Potiores explicemus. **Extrinseci.**

VII. Quid est *Definitio*? Resp. Est oratio explicans naturam seu essentiam alicuius rei. **Definitio.**

VIII. Quomodo ea fit? Resp. Definitio constat duabus partibus. Sumitur imprimis aliquid rei, quæ definitur, commune cum pluribus aliis, ipsi aliquo modo similibus; & hæc pars vocatur *Genus*. Deinde aliquid particulare, quod rei definitæ soli ita proprium est, ut per hoc additum differat ab omni alia re, quam non definio; & hæc pars vocatur forma, species, seu *differentia*. v. g. Homo est *animal rationale*; Rhetorica est *ars bene dicendi*. Atque ista tantùm circa definitionem Rhetorica tradit, cujus reliquas leges Logicæ permittit. Sic autem factæ definitiones sunt strictiores.

IX. Quas alias definitiones frequenter adhibet Rhetorica? Resp. Non ita strictas, quæ *Descriptiones* vocantur, & sunt eæ, quibus natura alicujus rei quomodocunque exprimitur atque explicatur. **Definitiones oratorum.**

X.

Harum modus.

X. Quomodo fiunt tales descriptiones? Resp. Variis modis. 1. *Per Causas & Effecta.* Ut: Peccatum est offensa Dei, quæ innumera mala inducit in hac vita, & in altera pœnas sempiternas. 2. *Per Consequentia.* Ut: Sol est lampas mundi, quæ diem efficit, colorem rebus tribuit, plantis & animalibus vitam impertitur, &c. 3. *Per Proprietates & Accidentia.* Ut: Felis animal domesticum caput habet buboni non absimile, domum muribus perpurgat, quos etiam in tenebris videns mira in angulis aviditate consectatur. 4. *Per Similitudines.* Ut: Flores sunt sidera terrestria, hortorum gemmæ, viva myrothecia. 5. Per *Negationem & Affirmationem*, dicendo imprimis, quid res non sit, deinde subjungendo, quid illa sit, vel viciſſim. Ut Apostolus 1. Cor. 13. 4. *Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Et Cic. in Pis. n. 23. *Tu in lictoribus, in toga, & prætexta esse consulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio te Consule esse voluisti. Hujus tu Clodiani canis insignibus consulatum declarari putas? Omnino Consulem esse oportet consilio, fide, gravitate, vigilantiâ, curâ, toto denique munere consulatûs &c.* Et Pro Sextio n. 97. *Quis ergo optimus? &c. Omnes optimates*

mates sunt, qui neque nocentes sunt, &c. Item pro Domo sua n. 88. *An tu populum Rom. illum esse putas, &c.*

XI. Quomodo formatur argumentum ex Definitione? Resp. Sive hæc, sive Descriptio sumatur, neutra afferetur nudè, sed cum ornatu figurarum. Istud oratorum, alterum est Philosophorum; ubi enim hi ad probandum, quòd Rhetorica sit discenda, dicerent: *Ars bene dicendi ornat hominem: Rhetorica est ars bene dicendi; igitur ornat hominem: atq; ideo contendendum, ut eam acquiras*; Orator diffusè & ornatè eandem rem proponit. Habes in hoc exemplo argumentum ex Definitione.

XII. Quid est *Notatio nominis*, vel *Etymologia* græcè? Resp. Est locus, qui verborum originem inquirit. Ut: *Consul dictus est, quòd patriæ consulat; igitur Piso non est Consul, qui ei non consulit. Castitas à castigando nomen habet; igitur castus esse nequit, qui corpus non castigat.* Notatio nominis.

XIII. Quando aptè hoc loco utimur? Resp. Tum aliàs, tum in genere Exornativo, quando ex alicujus nomine occasionem laudis aut vituperij desumimus. Sic Cic. Verr. 3. n. 191. *Videtis Verrutium? videtis primas litteras integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris, tanquam in luto demersam, esse in littera?* Alibi eundem vocat *Everriculum*, quòd furtis bona aliorum converrat.

rat. Alludit ad idem nomen 4. Verr. n. 52. Habent præterea quædam nomina aliquam vim significandi, ut *Chrysostomus* Os aureum; *Stephanus* Corona; *Vincentius* &c. Alia suppeditant occasionem per Anagramma, seu commutationem litterarum *Roma, Amor, Mora.* Quamvis hoc levius sit. Alia propterea, quòd alius virtute illustris olim eodem nomine fuerit appellatus, & hic illius facta sit imitatus, utì S. Nicolaus Tolentinas facta S. Nicolai Episcopi.

Conjugata.

XIV. Quid sunt *Conjugata*? Resp. Quæ ab eodem verbo orta variè commutantur. Ut: *Sapientiam* habet in animo defixam, ac proinde *sapiens* est, & *sapienter* aget. Qui locus Orat. videtur esse satis jejunus, unde fortè alicujus momenti argumenta rarò licebit exsculpere. Cic. Pro Marcel. n. 12. *Et cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jam antè æquitate & misericordiâ viceras; hodierno verò die teipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio; ipsam victoriam vicisse videris, cùm ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. Nam cùm ipsius victoriæ conditione jure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ judicio servati sumus. Rectè igitur unus invictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio víque devicta est.*

Enumeratio partium.

XV. Quid est *Enumeratio partium*? Resp. Est distributio alicujus totius in suas partes. Qui locus fœcundissimus, & tum pro argu-

argumentis inveniendis, tum pro dilatatione sæpe valde utilis, ut meliùs intelligatur, scire oportet, quid & quotuplex sit totum, & quid sit pars.

XVI. Quid est totum? Quid pars? Resp. Totum est collectio omnium partium. Pars est aliquid totius. Potest autem aliquid esse totum respectu unius, & pars respectu alterius. Sic manus est aliquod totum respectu digiti, & pars respectu reliqui corporis. Species est totum respectu individuorum, & pars respectu generis.

XVII. Quot sunt tota? Resp. Quatuor. Totum Genericum, Specificum, Integrale, & Morale. Quotuplex totum.

XVIII. Quid est Totum Genericum? Resp. Quod sub se continet plures partes specificas. Ut *Virtus* continet sub se plures species Virtutum, putà Charitatem, Temperantiam, Humilitatem, &c. *Animal* Quadrupedes, Aves, Pisces, Vermes, &c. *Avis* Aquilas, Cygnos, &c. Ubi nota, unum genus altero latiùs patere, id est, plura sub se continere: latiùs enim patet *Animal*, quàm *Avis*, *Piscis*, &c.

XIX. Quid est Totum Specificum? Resp. Quod sub se continet plures partes numericas, ut vocant, seu plura individua. Individua aut plura numero hîc voco, quæ in natura cõveniunt, nec aliter differunt, quàm quòd unum non sit alterum; ut, plures actus ejusdem

dem Virtutis; plures Equi, quorum licèt color, ætas, patria, &c. diſcrepet, in natura tamen conveniunt, & hæc diverſitas eſt tantùm accidentalis.

XX. Quid eſt Totum Integrale? Reſp. Quod habet plures partes integrantes, ut vocant. Aliud eſt eſſe *Totum*, aliud eſſe *Integrum*. Qui caret uno pede, habet totum corpus, quia omnes ejuſdem partes phyſicas, materiam ſcilicet, formam, & unionem, ſed non habet integrum. Quænam autem pars ſpectet ad integritatem alicujus totius, vel non ſpectet, aliunde conſtare debet.

XXI. Quid eſt Totum Morale? Reſp. Quod in ſe unum quidem & indiviſum eſt, partes tamen habet modo noſtro concipiendi diverſas. Hujusmodi Tota ſunt: *Deus* in ſe ſimpliciſſimus, qui inſtar partium habet ſuas tres Perſonas, & divinas perfectiones, licèt eæ reipſa ſint eadem ſimpliciſſima res; *Angelus*, & *Anima* rationalis, quorum partes ſunt ipſorum potentiæ. Hæ ipſæ rurſus tanquam partes habent ſuas operationes, virtutes, vitia, &c.

XXII. Quomodo ſumitur argumentum ex Enumeratione partium? Reſp. Si ab enumeratione partium affirmando vel negando fiat tranſitus ad totum. v. g. *Habet Charitatem, Patientiam, &c. Igitur eſt virtute præditus. Seipſum vilipendit, honores fugit, &c.*

Quare

Quare habet animi demißionem. Christus capite ſpinas, manibus & pedibus clavos, humeris crucem, &c pertulit: Itaque omnibus membris paſſus eſt.

XXIII. Quid eſt *Genus*? Quid *Forma*, ſeu *Species*? Reſp. Horum 2. locorum explicationem jam attuli paulò antè n. 18. & 19. Quomodo à Genere ſumatur argumentum, dixi n. 22. A Forma ſeu Specie ſic formatur: *In Martyrio eſt actus Charitatis, Fortitudo, Patientia: Ergo eſt Virtus.* Hîc nota, perinde eſſe, ſive juxta data exempla argumentemur à Specie ad Genus, ſive à Genere ad Speciem. Ut: Hic Sanctus habet magnam laudem virtutis: enituit enim in ipſo Fortitudo in adverſis, Liberalitas, &c. Quas virtutum ſpecies in amplificatione non tantùm oportet nominare, ſed etiam diſtribuere in ſuas partes numericas, ſeu particulares iſtarum virtutum actus recenſere. Videantur ea, quæ cap. 15. hujus libri de Theſi & Hypotheſi tradentur. Genus & Forma.

XXIV. Quid eſt *Similitudo*? Reſp. Cicero ſic eam definit: Eſt ea, quæ traducit ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile. Senſus eſt, quòd ſit comparatio duarum rerum, reipſa diverſarum, propter aliquam convenientiam, quam inter ſe habent, unde poſtmodum ſimiles eſſe affirmantur. Ut, ſi aurum vocetur ſol metallorum, Avarus dicatur hydropicus. Sicut enim ſol eminet inter ſidera, ita aurum inter metalla: Similitudo.

ſicut hydropicus, quò plus bibit, eò plus ſitit, ita avarus, quò plures opes coacervat, plures appetit. Et tamen aurum non eſt ſol, nec avarus eſt hydropicus. Vides in his exemplis, quomodo argumentum ex ſimilitudine deſumatur. Fateor tamen, argumenta, ex hoc loco petita, ſæpe non multum habere virium, & ornare potiùs ſermonem, quàm flectere auditorem ſolere.

Diſſimilitudo.

XXV. Quid eſt *Diſſimilitudo*? Reſp. Eſt, cùm ex re diſpari aliquid diſſimile eruitur aut concluditur. Ut: *Si terrena ſapientes divitias colligunt, qui cœlum ſpirant, eas abiiciant, ut perituris æterna commutent.* Cic. pro Cn. Planc. n. 68. *Quanquam diſſimilis eſt pecuniæ debitio & gratiæ. Nam qui pecuniam diſſolvit, ſtatim non habet id, quod reddidit; qui autem debet, æs retinet alienum: gratiam autem & qui reddit habet, & qui habet, in eo ipſo, quod habet, refert.*

Contraria.

XXVI. Quid ſunt *Contraria*? Reſp. Sunt duo, quæ ſe mutuò excludunt ex eodem ſubjecto, ſeu quæ non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubjecto.

XXVII. Quot ſunt hujuſmodi Contraria? Reſp. Quatuor. *Adverſa*, ſeu Contraria ſtrictè ſumpta, quæ ſunt duæ qualitates in eodem genere maximè inter ſe diſtantes, ut album & nigrum, virtus & vitium. *Privantia* ſunt habitus formæ & ejus privatio. Privatio autem eſt mera negatio formæ in ſubjecto

jecto apto illam habere. Sic forma aëris, seu habitus formæ, est Lux. Absente luce adest ejus privatio, cùm tenebræ nihil sint positivum, sed mera negatio lucis. Sic vita & mors &c. *Relata* sunt, quæ habent ad se mutuum respectum, ita ut unum non possit explicari, nisi in ordine ad aliud. Ut Dominus & servus, Magister & discipulus, Pater & filius, Dux & miles. Quomodo enim Dominus, nisi quia habet servum? Quomodo servus, nisi quia habet dominum? Et sic de cæteris. Sunt hæc Relata verè Contraria, cùm se mutuò excludant ex eodem subjecto: fieri enim nequit, ut idem respectu ejusdem & pro eodem tempore sit Dominus & servus. *Negantia*, quæ à Philosophis Contradictoria vocantur, sunt duo, quorum unum negat alterum. Ut: Probus, Improbus.

XXVIII. Quomodo à singulis argumenta fiunt? Resp. *Ab Adversis:* Vitium est pernicioſum: ergo Virtus utilis. *A Privantibus.* Cic. pro Mil. n. 79. *Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis; & de ejus nece lata est quæstio, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset.* *A Relatis.* Cœlestis Magister Christus Humilitatem verbis & exemplis docuit: non est igitur ejus discipulus, qui hanc discere non curat. *A Negantibus.* Cumulat nos Deus innumeris bonis: quàm perditè igitur ingratus, qui peccando mala rependit?

Adjuncta. XXIX. Quid sunt *Adjuncta*? Resp. Ea, quæ cum persona vel re sunt conjuncta, illi per accidens adhærent, illam comitantur, aut circumstant; unde etiam Accidentia & Circumstantiæ vulgò vocantur. Magis ordinaria hoc versu indicantur:

Quis, Quid, Ubi, Quib. auxiliis, Cur, Quomodo, Quãdo.

Quis designat personam vel rem, de qua agitur. *Quid* negotium, quod circa illam geritur. *Ubi* locum. *Quibus auxiliis* adjumenta. *Cur* causam. *Quomodo* modum. *Quando* tempus. Præter ista Quintil. L. 5. Instit. Orat. c. 10. sequentia addit: Genus, Natio, Patria, Sexus, Ætas, Educatio, Habitus, Fortuna, Conditio, Natura animi, Victus, Studia, Dicta, Facta, Nomen, Casus, Facultates, Instrumenta, Signum. Est & hic locus amplissimus tum pro Inventione, tum pro Dilatatione; unde nonnihil pluribus eum declaro.

XXX. Quomodo serviunt Adjuncta? Resp. Seligenda sunt ex his aptiora ad propositum argumentum. Ut si V.G. sermo sit de Passione Domini, argumentum aut materiam Dilatationis suppeditabit: *Quis*, seu persona patiens, quæ est Christus innocentissimus, cujus opera, tanquam Dei & hominis, erant infiniti valoris, &c. *Quid* patiatur in anima & corpore, quid in utriusque partibus. *Ubi*? In loco totius Judææ celeberrimo, in quo erat famosissimus à virtutibus,

bus, prodigiis, beneficiis. *Quibus auxiliis*, seu quinam & quo pacto cooperati sint, aut patientem destituerint. *Cur*? Quæ fuerit causa finalis? nostra scilicet Redemptio, & satisfactio superabundans. Quæ causa materialis? Quæ moralis? nempe peccata, &c. *Quomodo*? Passus est gravissima patientissimè, sine solatio, imò tristis usque ad mortem, prævidens, quàm multis tanta Passio non sit profutura, &c. *Quando*? Eo tempore, quo propter confluxum totius Judææ Jerosolymam passio erat maximè ignominiosa. In alia occasione materiam præbebit *Genus*, potéstque dici, quinam fuerint ipsius parentes & majores, de quo fit oratio. *Natio* & *Patria*, observando, quid aliàs tali genti vel civitati soleat esse proprium, ut Fortitudo Romanis, Sapientia Græcis, &c. *Sexus*. Si mulier ultra sexum fortis aut sapiens fuit, &c. *Ætas*, notando, quid cuivis ætati soleat esse proprium, ut levitas juventuti, gravitas ætati virili, languor & timor senili. *Educatio*, à qua cùm ferè mores pendeant, materia copiosa est argumentis & amplificationi. *Habitus*, intelligendo per hunc habitus virtutum aut vitiorum; vel vestimentum; vel habilitatem ad res gerendas, formam, robur, &c. qui sunt uberes fontes pro ingeniosis. *Fortuna*: prosperâ vel adversâ quomodo fuerit usus? Quomodo opibus vel inopiâ? *Conditio*. Fueritne ser-

vus an dominus, nobilis an plebejus? &c. *Natura animi*, sive inclinationes ad bonum aut malum: quomodo hanc vicerit, aut ex illius ductu egerit. *Victus* parcus & qualis, &c. *Studia*. Quibus negotiis & rebus fuerit addictus, honestis an inhonestis? Quas litteras aut artes didicerit, docuerit, invenerit? &c. *Nomen*, si ejus etymologia aliquam cogitationem suggerat; an rei convenerit? an ita egerit, ut olim alii ejusdem nominis? *Casus*, si qui adversi aut mirabiles ipsi evenerint, quomodo se in iis gesserit? *Facultates* amplas an tenues nactus sit? quibus mediis acquisiverit? quomodo impenderit? *Instrumenta* seu adjumenta ad rectè vel secus agendum. *Signa*, si qua vitam præcesserunt, aut mortem secuta sunt. Sufficere hæc possunt. Qui plura desiderat adeat Quintil. l. c.

Antecedentia & Consequentia.

XXXI. Quid sunt *Antecedentia* & *Consequentia*? Resp. Sunt ea, quæ tantam inter se connexionem habent, ut ex eo, quòd alterum antecesserit, necessariò vel probabiliter alterum consequatur, aut è converso. Sic mala vita & mala mors inter se connectuntur. Advertendum tamen, aliqua necessariò antecedere, & ex tali antecedente sequi aliud necessariò: aliqua tantùm habere probabilem inter se connexionem; ut, ex eo, quòd aliquis noctu visus sit armatus in platea, in qua inimicus ipsius altera die in-

inventus est occisus, non necessariò, sed probabiliter tantùm sequitur, quòd ab ipso sit occisus, quia hoc etiam antecedente potuit ab alio fuisse occisus. Ex hoc loco petitur argumentum illud contra peccata venialia, quo arguitur, ex ipsarum frequentatione secuturum tandem lapsum in peccatum mortale.

XXXII. Quid sunt *Repugnantia*? Resp. Sunt ea, quæ simul in eodem reperiri quidem possent (in quo hic locus differt à Dissimilibus & Contrariis) plerumque tamen simul esse in eodem non solent, ut: *alterum amare & convitiis proscindere; odisse & opitulari.* Repugnantia.

XXXIII. Quid est *Causa*? Resp. Quod per suam cooperationem efficit, ut aliquid aliud existat. Causæ.

XXXIV. Quot Causæ ab oratoribus considerantur? Resp. Plerique adstruunt tantùm quaternas, videlicet Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem. Ego verò non video, cur dissimulari debeant Moralis & Exemplaris. Censent aliqui, has duas non esse Causas propriè dictas. Quidquid de hoc sit, ut locus hîc ipsis concedatur, sufficit, quòd ex his quoque utilia argumenta peti possint.

XXXV. Quid est *Causa Materialis*? Et quomodo tam ex hac quàm ex reliquis ducitur argumentum? Resp. Est materia, ex qua res aliqua facta est. Verres Regi Antiocho su-

sustulit magnum candelabrum aureum: Fecit igitur grave furtum. Constantinus M. Imp. donavit Ecclesiæ plurima vasa aurea & argentea: Fuit igitur valde munificus.

XXXVI. Quid & quotuplex est *Causa Formalis?* Resp. Est forma in materiam introducta, per quam distinguitur ab alia re, & determinatur, ut sit id, quod est. Hæc forma duplex est: *Naturalis*, qua ipsa Natura determinat materiam, ut sit potiùs hoc, quàm aliud. Talis in viventibus est anima; in non viventibus forma alia, ut lapidis, auri, &c. *Artificialis* est, qua per artem introducitur forma in materiam, V.G. Species calicis in argentum. Ex prima sic arguitur: *Homo animam immortalem sortitus est; Itaq; æternitati vivat.* Ex altera sic: *Sculptor ex communi marmore fecit Jovem; quam igitur divinitatem haberet?*

XXXVII. Quid est *Causa Efficiens?* Resp. Quod per suum influxum physicum aliquid efficit. Sic causa efficiens Mundi est Deus, pictor imaginis, homicida necis. Hinc argumentum sic formabitur: *Deus creavit animam hominis; est igitur opus perfectum, cùm Dei perfecta sint opera. Ex bello oritur vastatio regionum & urbium, fames, &c: est ergo causa multorum malorum. Judas Christum vendidit, prodidit, tradidit: meritò igitur ipsi primariò mors Salvatoris tribuitur.*

XXXVIII. Quid est *Causa Finalis?* Resp.

Est

Est Finis, cujus obtinendi gratiâ aliquid fit, à quo consecutio illius finis pendet. Sive, est id, quod ut cognitum me movet ad aliquid agendum, dependenter à quo facto id obtinebo, quod cognosco. V. G. Cognosco sanitatem, quæ cognita me movet ad sumendam medicinam, dependenter à cujus sumptione sanitatem obtinebo. Sic argumentamur ex hoc loco : *Creatus est homo, ut Deum laudet, ipsi serviat, & obediendo ipsius mandatis beatitudinem æternam consequatur: Quapropter necesse est, ut ipsi serviat, &c.*

XXXIX Quid est *Causa Moralis?* Resp. Quæ ut cognita, tanquam aliunde jam existens, me movet ad aliquid faciendum, dependenter à quo cognitum illud obtinebo. V.G. Cognosco, jam existere promissum Dei infallibile : *Beati Misericordes, quoniam ipsi Misericordiam consequentur.* Sum misericors, & Misericordiam Dei consequor. Cognita illa promissio divina est Causa Moralis meæ Misericordiæ. An verò potiùs Misericordia Dei obtinenda me moveat tanquam Causa Finalis, ut sim Misericors, non disputo. Ex hoc loco probari potest, v. g. quòd merita Christi à Deo prævisa fuerint Causa Moralis gratiarum progenitoribus ipsius, ac præsertim præcellentium illarum B. V. concedendarum. Et similia. Discrepat autem Causa Moralis à Finali, quòd licèt utraq; me moveat ut existens in sola mea cog-

cognitione, finis tamen me movet ut futurus, seu *ut sit* dependenter ab illo, quod ago; Causa Moralis autem cognita me movet, *quia est*, sive quia jam aliquid præcessit.

XL. Quid est *Causa Exemplaris*? Resp. Est prototypon sive exemplar, juxta quod aliud quid efformatur. Ut cùm pictor depingit imaginem ad normam alterius, quam habet ante se; prior imago est alterius Causa Exemplaris. Ita ex hoc loco argumentari licet: *Homo formatus est ad imaginem Dei: curet igitur, ne peccatis Dei similitudinem in se destruat. Christus est non tantùm Redemptor noster, sed etiam Magister vitæ sanctioris, quam verbis, maximè verò exemplis, docuit. In variis varias virtutes docuit. In cruce Humilitatem præcipuè & Mortificationem. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte Calvariæ monstratum est.*

Effecta. XLI. Quid & quot sunt *Effecta*? Resp. Sunt ea, quæ ex causis oriuntur. Sic calix aureus est effectus hujus Causæ Materialis. Et ita de cæteris. Adeóq; tot sunt Effecta, quot sunt Causæ.

XLII. Quomodo fit argumentum à singulis Effectis? Resp. Colligendo ex Effectis Causas, earúmq; vim ac præstantiam: sunt enim Effecta Causis notiora. Itaq; sic sumetur argumentum ab Effectis Causæ *Materialis*: Mortui in terram resolvimur; ergo ex eadem formati sumus. *Formalis*: Naturæ ductu

ductu ad immortalitatem aspiramus: igitur animâ imortali donati sumus. *Efficientis*: Nullum in orbe malum est, quod suam originem peccato non debeat: quis itaq; peccatum malorum maximum esse neget? *Finalis*: Deus omnibus hominibus misit suum Filium, omnibus dat gratias sufficientes: quare omnes vult salvari. *Moralis*: B. Virgo à Labe etiam Originali præservata, & donis cœlestibus super omnes homines ornata est: unde consectaneum est, summum in ipsam fuisse amorem Filii, cujus intuitu Sanctiss. Trinitas adeò ipsi præ cæteris favit. *Exemplaris*: Adolescens, antea pius, pravorum sodalium mores induit, pejerat, voluptates sectatur, &c; nempe trahimur exemplis, sumúsq; boni cum bonis, mali cum malis.

XLIII. Quotuplex *Comparatio* institui potest? Resp. Triplex. 1. Comparando *majus cum minore*, quando contendimus ex majore exemplo, minus aliquid fieri debere. Ut: Christus tui amore crucem inter latrones libens sustinuit; tu parvum contemptum ipsius amore ferre nolis? Idem præcepit, ut, si quis te percutiat in dextram maxillam, præbeas ei etiam siniſtram: & vel verbulum durius te ad vindictam cõmoveat, qui hujus cœlestis Magistri discipulus vis haberi? 2. *Minus cum Majore*. Ut: tantum à te non obtines, ut modico illicio incitatus peccan- Comparatio.

peccandi occasionem fugias ; quomodo in ea constitutus, & graviter solicitatus, te continebis , ne pecces ? 3. *Paria cum paribus.* Sancti Stephanus & Jo. Gualbertus , homines tui similes , inimicis condonârunt : ne dicas igitur , Christi in eadem re exemplum tuas & aliorum hominum vires superare.

XLIV. Quid de reliquis Locis Intrinsecis censendum , quos supra n. 5. addidi? Resp. Expositione majore non videntur indigere, cùm per se clari sint,& Oratores sacri nostri temporis per frequentem & utilem eorum usum exemplorum affatim suggerant. De argumentis ex Theologia Speculativa , Morali , vel Polemica depromptis judico, ea , reliquarum rationum , ex aliis locis petitarum , ita fundamentum esse debere , sicut ipsa in sacris litteris fundantur , aut ratione ; nec ferè solidas esse orationes , sed inutilem multoties garritum , quæ huic fundamento non primariò innituntur , auribus mulcendis quàm tangendis cordibus aptiores. Meditatio sacra quotidiana , uti & rerum sacrarum lectio, aurifodina est , ex qua ditantur sacræ orationes ; sine his succo carent & unctione spiritûs ; imò , nescio, qua ratione , vanitatem redolent, etiam cùm in argumentis sacerrimis versantur. In allegandis SS. Patribus sæpe non sufficiet , unicum unius S. Patris dictum adduxisse ,

sed

sed necesse erit, plures citando, probare, rem, de qua agitur, esse ex communi ipsorum sensu, ut istiusmodi argumentum vim habeat. Id tamen semper facere prudentis non est, sed in iis præcipuè rebus, ubi SS. Patrum coacervata auctoritas persuadere potest veritates, quæ videntur non multùm nos obstringere. In his autem allegandis magna figurarum varietas adhibenda est.

XLV. Quomodo intelligendi sunt *sex Loci Extrinseci*? Resp. Quamvis mei propositi non sit de Genere Judiciali, ad quod hi loci spectant, accuratiùs tractare, ob causam numero sequente dicendam; tamen ut primarias saltem partes totius Rhetoricæ afferam, etiam hos obiter adduco. *Præjudicia* sunt eadem res jam aliàs in simili judicata; vel quando in rebus, ad hanc causam spectantibus, lata sunt judicia, quæ idem hîc concludere videntur; vel si hæc ipsa causa ab istis aut aliis judicibus jam semel est judicata & definita. *Fama* est sermo multorum, qui ut plurimum non fallit, & ad probationem servit, nisi constet, malitiam interveniisse, aut nimiam credulitatem, aut à fallaci fundamento, vel nimis levi auctore ortam esse hanc famam. *Tabulæ* sunt leges, consuetudines, scripta publica (Protocolla vocant) vel privata, ut testamenta, chirographa, Apochæ, &c. *Tormenta* sunt quæstiones pœnales, quibus latens veritas exprimitur. *Jus-*

jurandum

jurandum est Dei in testem invocatio in dubiis, plerumq; facta à parte affirmante, cui in omni judicio fides adhibetur, etiamsi ab hoste fiat. *Testes* sunt, qui affirmant notitiam alicujus rei, certis indiciis haustam, putà sensibus perceptam &c. Eòdem referri possent testimonia divina ex oraculis, probatis vaticiniis, & consimilibus petita.

CAPUT IV.

De inventione propria generibus Judiciali & Deliberativo.

Genus Judiciale.

1. QUid speciatim dicendum de genere Judiciali? Resp. Aliqua de Locis, huic generi propriis, attuli præced. cap. n. 5. Quoad reliqua præcepta universalia convenit ferè hoc genus cum reliquis duobus: unde qui illa scit, etiam istud eâdem operâ sciet. Cæterùm de genere Judiciali ideo non videbatur in hoc opusculo longiùs & enucleatiùs agendum, quia consuetudo justas orationes in hoc genere habendi ferme potioribus in locis sublata videtur. Deinde quia judicatur ferè non ex veteri jure, sed ex novo particularium locorum: quapropter ex eorundem consuetudine & moribus hujusmodi orationes & earum inventio informari debent. Quodsi quis tamen plura de hoc genere desideret

ret, fusiùs de ipso scribunt tum alii, tum Bretteville in sua Rhetorica gallicè edita. Consuli etiam pro his & aliis orationibus poterit Orator Extemporaneus P. Radau.

Deliberativum.

11. Quænam sunt specialia generi Deliberativo? Resp. 1. Videndum initio, an ea res sit, de qua suscipitur suasio vel dissuasio, & an fieri possit; alioquin sublata est deliberatio. 2. Si fieri possit, an sit utilis, honesta, jucunda, facilis, necessaria, vel majus bonum, de quo L. 6. c. 2. plura. Sunt isti loci huic generi proprii, ut suprà dixi. In dissuasione verò oppositis rationibus procedendum est. 3. Qui vult suadere, studiosè observet, an habeat coram suis auditoribus sufficientem auctoritatem, æstimationem probitatis & sapientiæ; alioquin frustra aget. Item quid & cui suadeat (neque enim quidvis cuivis suadendum ratio dictat) & ob quas rationes. Ingenui ducuntur ratione & honestate, vulgus utilitate, juvenes jucunditate, senes facilitate & necessitate &c. Quocirca necesse est priùs cognoscere ingenium & mores Auditorum. 4. Si dubium sit, an res fieri possit, primò fieri posse ostendat; dein causas afferat, cur fieri debeat. 5. Qui dissuadet, monstret, rem fieri non posse, nec, si posset, fieri debere, utpote inutilem, indecentem, &c. 6. Dicat sine magno apparatu sermonis, ut decet sapientem, qui aliquid suadet, ne

ne talis apparatus consilium suspectum faciat. 7. Caveat tum semper, tum in isto genere, suspicionem ostentationis ingenii. 8. In deliberationibus vim non modicam habent exempla, rei, de qua agitur, convenientia, præsertim recentiora; quia vicina nostris temporibus magis movent.

CAPUT V.

De Inventione propria Generi Exornativo.

Genus Exornativum.

I. QUid universim in laudibus observandum? Resp. Propriè loquendo nihil laudem mereri, nisi virtutem, & quæ cum virtute conjuncta sunt, loquendo de hominibus.

II. Quis potest laudari? Resp. Deus, Cælites, Probi, viventes & defuncti, Urbes, Regiones, Scientiæ, Artes, Virtutes ipsæ, & alia, de quibus Tyrocinium Eloquentiæ.

III. Si non est certum, an homo, qui laudatur, habeat aut habuerit aliquam virtutem, potéstne hæc ipsi tribui? Resp. Præstat niti certis, ne propter incerta etiam certis, quæ dicuntur, fides decedat. Sunt tamen aliquæ virtutes, in quibus meritò conjectura fit etiam de aliis, cùm hæ soleant illarum esse effectus, vel aliàs cum ipsis connexæ. Et talis connexio jure creditur

tur in insigniter probis. Quia tamen virtutes recensendæ sunt non per capita, sed secundum actus earum singulares, ut aliàs dicetur, rarò fortè virtutes incertæ pro dilatatione, saltem fusiore, deservient.

IV. Ex quibus capitibus laudantur homines? Resp. Ex bonis internis & externis, cum virtute conjunctis. Laus hominis

V. Quæ sunt interna? Resp. Aliqua sunt in Intellectu, ut ingenium, capacitas ad res magnas gerendas, sapientia, prudentia, & aliæ virtutes intellectuales, scientiæ & artes, earúmq; effectus. Aliæ spectant ad voluntatem, reliquæ scilicet virtutes & dona cœlestia. Hæ verò, quod paulo antè monui, non proferendæ sunt solùm generatim, sed actus cujusque adducendi; atque ex his non omnes, sed ii solùm, qui habent aliquid singulare, seligantur. Neque nudè repræsententur, sed cum ornatu & varietate. à bonis internis,

VI. Quæ & quotuplicia sunt bona externa? Resp. Duplicia: *Bona Fortunæ*, ad quæ spectant opes, potentia, favor & gratia apud homines, natio, patria, parentes & propinqui cum suis factis insignibus, nobilitas, liberi, partus ingenii vel industriæ, & alia, quæ paulo pòst referentur. *Et Bona Corporis*, qualia sunt: Forma, quæ est signum virtutis; valetudo, & vires, quæ sunt virtutis adjumenta. Circa formam adverten- & externis.

dum, aliam decere virum, aliam mulierem; aliam ſeni, aliam juveni convenire; aliam laudari in Principe, aliam in milite, &c; neque rurſus ſufficere, ut in genere dicatur, alicui fuiſſe formam ſuæ conditioni congruentem, ſed debere hoc ipſum explicari. Exemplum habes in Plinii Secundi Panegyrico Trajani. Sed hæc bona, ut dixi, cum virtute conjuncta ſint, aliàs parùm ad laudem conducent: & in laudando perſpicuitatis causâ ſervetur ordo.

Ordo laudis. VII. Quis ordo in laudandis hominibus ſervari poteſt? Reſp. Primus eſſe poteſt *Ordo virtutum*, dicendo imprimis de illis, quæ Deum, & res divinas ſpectant; deinde quæ proximum concernunt; demum quæ ad propriam perſonam laudandi pertinent. Exornandæ ſunt nominatim illæ, quæ cum aliqua difficultate fuerunt conjunctæ, raræ, aut ſine ſpe laudis vel mercedis, in hac vita obtinendæ, fuerunt exercitæ. Pluribus non probatur ille modus laudandi, quo quis comparatur aliis virtute illuſtribus; nam præterquam, quòd comparationes ſæpe ſint odioſæ, quandoque non ſatisfaciunt, quia videtur orator laborare penuriâ materiæ, dum mediam partem orationis inſumunt decora illius, cum quo comparatio inſtituitur. Antiquæ inſuper nonnullis videntur illæ metaphoræ, quibus v. g. Sanctus aliquis comparatur ſoli, ſtellæ, gemmæ

gemmæ certæ,&c. Aliter quidam sentiunt, ad quorum mentem l. 6. c. 11. paradigma aliquod afferam. Porrò ita laudetur aliquis à virtute, ut ex ipso modo proponendi auditores queant suspicari, plura ornamenta reticeri, quàm exponi. Qui præsefert, quòd omnia velit dicere, plerumque pro exspectatione nimis parùm dicet. Idcirco proderit materiam laudis definire certis quibusdam virtutibus, velut primariis capitibus, quæ ingenioso facilè dabunt occasionem aptè inserendi etiam alias, his vel affines, vel cum ipsis quocunque modo connexas. Idq; fieri potest per præteritionem, concessionem, & alias similes figuras. Semper tamen cavendum ab exaggeratione. Quibusdam omnis Sanctus, quem laudant, non videtur satìs laudari, nisi major cæteris asseratur; & in laudibus virtutum, ea, de qua orationem instituunt, semper est excellentissima. Quod, quàm inscitum sit, nemo non videt. Similiter nunquam nimis seorsim exaggeretur Justitia Dei, ut auditor propè desperet, aut Bonitas, ut de ea præsidat, sed duæ istæ Dei perfectiones conjungantur. Alter modus est ordine quodam ostendere, in illo fuisse, *quod consuleremus* alteri, ut faciat. Quod rursus potest reduci ad certa capita, cum respectu ad statum & conditionem illius, qui laudatur, v. g. si fuit Religiosus, Princeps,&c. Alii reducunt ipsius

ſtatum ad certam quandam *Ideam*, putà boni Præſidis, Epiſcopi, Militis, &c; in quo nôſſe oportet, quid ſpecialiter talis conditionis hominibus conveniat. Iterum alius ordo eſt diverſarum *Ætatum* vitæ, nimirum oſtendendo, qualis fuerit in puerili, juvenili, virili, ſenili ætate. Denique, ut plures alios omittam, ordo alius eſt ſecundum triplex tempus, videlicet ante vitam, in vita, & poſt vitam. Per primum hîc intelligitur non ſolùm tempus ante nativitatem, ſed etiam ante vitam moralem, ſive in melius mutatam. Quod proderit obſervare propter eos, quorum vitam naturalem nihil ſingulare ad ipſos ſpectans præceſſit, & pueritia ipſa fuit obſcura, ſed illuſtriores divinis muneribus anni proximi ante converſionem fuerunt.

VIII. Quomodo laudatur homo ſecundum hæc tria tempora? Reſp. *A tempore ante vitam*, propter nationem, patriam, parentes, propinquos, ſi facta ſuorum imitatus eſt, vel ſuis geſtis illuſtriora reddidit; ob nobilitatem & dignitatem Majorum; ob exſpectationem communem partûs, &c. A ſignis, oraculis, vaticiniis præcedentibus, quæ futuram ipſius claritatem prænuntiârunt. *A tempore vitæ*, ex bonis internis & externis, & propriis virtutibus ac factis, de quibus n. 5. & 6. præced. Ab eventibus inſolitis, qui in nativitate ipſius, aut aliàs con-

contigerunt. *A tempore post vitam*, ob genus mortis, & quæ circa ipsam acciderunt. A luctu bonorum & desiderio sui relicto; à decretis ipsi honoribus in sepultura, monumento splendidiore, statuis, Epitaphiis. A factis liberorum, vel discipulorum, quos instruxit. A piis Legatis. Ab utilitate librorum aliorúmque operum, quæ post se reliquit.

IX. Unde laudantur Religiosi Cœtus? Resp. A Fundatore, antiquitate, pietate semper servata, utilitate publica, præclaris sanctimoniâ, qui in eo statu claruerunt, legum sanctitate & severâ custodiâ, doctrinâ, virtutum diversarum studio, ab æstimatione ac favore Cœlitum & hominum, &c. Laus religiosi Cœtûs,

X. Quomodo laudantur Regiones? Resp. A fertilitate & utilitate rerum diversarum; à cæli temperie; ab incolis, qui in ea variis temporibus floruerunt; à fluminibus, montibus, urbibus, veteribus monumentis, &c. Regionum,

XI. Quomodo Urbes? Resp. A vetustate, situ, munitionibus, conditoribus, civibus illustrioribus, artibus ibi florentibus, ædificiis, portubus, cænobiis, utilitate, emporiis, &c. Capita, ex quibus virtutes & alia laudantur, vide in Tyrocin. Eloq. l. 3. P. 2. Urbium.

XII. Unde sumitur materia vituperii? Resp. Ex capitibus oppositis, iis, quæ modò pro laude recensita sunt.

CA-

CAPUT VI.

De Amplificatione rerum.

Amplificatio rerum quid.

I. QUid ulteriùs inveniendum ? Resp. Inventis argumentis, quæ serviunt ad faciendam fidem, seu movendum Intellectum, invenienda sunt insuper, quæ conducunt ad ulteriorem motum voluntatis. Et hæc appellatur Amplificatio rerum, seu gravior quædam affirmatio, quæ brevioribus quibusdam argumentis, artificiosè confertis, auditores, de veritate propositionis per argumenta jam convictos, vehementiùs impellit, ut etiam velint, quod orator persuadere nititur.

II. Nunquid ad hunc finem sufficit, si convictus sit Intellectus ? Resp. Non facit huc, an Intellectus & Voluntas sint una tantùm potentia, de quo Philosophi, ut adeò moto Intellectu, mota sit eo ipso Voluntas: breviora hæc argumenta conferunt victoriam certiorem.

III. Undenam hæc argumenta petuntur? Resp. Ex iisdem fontibus, quos pro argumentis, fidem facientibus, suprà c. 2. indicavi.

IV. Qui sunt modi illa proponendi ? Resp. Decem præcipuè, quos ordine subjungo.

Ejus modi.

1. *Per Definitiones conglobatas*, seu multas ejusdem rei definitiones congestas. Ut: *Historia testis est temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis.*

2.

2. *Per Consequentium frequentationē*, qua plura coacervantur, quæ ex aliqua re consequētur. Ut : *Si pergas multiplicare peccata venialia, imminuentur Dei gratiæ ; vires animæ infringentur ; oratio, qua aliàs roboramur, vim minorem exseret ; augebuntur contrà vires hostibus ; solicitationes ad scelera graviora majore impetu ingerentur ; decrescet peccandi horror ; noxam demum lethalem committes.* Et Cic. pro Mur. n. 85. *Sed quid tandem fiet &c.*

3. *Per conflictionem Contrariorum*, per antitheses sibi mutuò oppositorum. Cic. II. Catil. n. 10. *Hoc verò quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus, &c. Quænam isthæc, audaciámne vocem, an insaniam? quænam, inquam, seu audacia seu dementia, quòd homo peccando non vereatur provocare Deum, servus vilissimus Dominum supremum, innumeris affectus beneficiis summum suum benefactorem, judicandus Judicem, imò jam reus supplicii æterni irritatum scelerum vindicem?*

4. *Per collactationē Dissimilium.* Cic. in Pis. n. 33. *Atque ut tuum lætissimum diem cum tristissimo meo conferam, utrum tandem bono viro & sapienti optabilius putas sic exire à patria, ut omnes sui cives salutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit ; an, quod tibi proficiscenti evenit, ut omnes exsecrarentur, malè precarentur, unum tibi illam viam & perpetuam esse vellent ?* Vide quæ ibi præcedunt à n. 31. *An cùm proficiscebamini paludati &c.*

5. Per

5. Per conglobationem Causarum & Effectorum. Cic. pro Archia n. 16. *Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quereris multis modis vexatam esse Provinciam; sed ad causas calamitatis attende. Vigebat in ea ambitio, luxuria dominabatur, segnes erant magistratus, populus ipse molli otioságque securitate diffluebat. Exspecta igitur damna longè graviora exhaurietur ærarium, jacebit spreta religio, cædes impunè volitabunt.*

6. Per similitudinem & exempla. Ut: *Audis Laurentium in candente craticula falso joco insultantem tyranno: crederes non ipsum in igne torreri, sed volutari in rosis, deliciari in convivio. Instructus nempe fuerat eodem spiritu, quo Paulus adversa contra se velut provocavit, Ignatius bestias in suum corpus incitare meditatus est, Apostoli gaudentes à conspectu concilii egressi sunt.*

7. Per coacervata Adjuncta Cic. Verr. 7. n. 79. *Æstate summa, quo tempore cæteri Prætores obire Provinciam & concursare consueverunt, aut etiam in tanto prædonum metu & periculo ipsi navigare; eo tempore ad luxuriam libidinésque suas, domo sua regia, quæ Regis Hieronis fuit, qua Prætores uti solent, contentus non fuit. Tabernacula, quemadmodum consueverat temporibus æstivis, carbaseis intenta velis, collocari jussit in littore, quod est littus in insula Syracusis, post Arethusæ fontem, propter ipsum introitum*

tum atque ostium portûs, amœno sanè & ab arbitris remoto loco.

8. *Per Enumerationem partium*, S. Ambr. in Lucæ cap. 2. *Non solùm ab Angelis, & Prophetis, & à pastoribus, sed etiam à senioribus, & Justis, generatio Domini accepit testimonium. Omnis ætas, & uterque sexus, eventorúmque miracula fidem adstruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, Justus exspectat.* Similia exempla infinita possent afferri aut de novo formari. Ut si diceres ab enumeratione, totam Naturam Christo crucifixo compassam. Omnes ætates contribuisse ad ipsius Passionem, omnis conditionis homines, &c. Omnibus nocere luxũ, &c.

9. *Per Incrementum orationis*, quo semper aliquid priore majus sequitur, cùm rem attollimus; aut semper minus, cùm illam deprimimus, ita ut ultimum sit maximum vel minimum. Cic. pro Rosc. Amer. n. 12. *Nisi in hac causa qui vester animus sit, ostendatis, eò prorumpet hominum cupiditas, ut non modò clàm, verùm etiam hîc in foro, ante tribunal judicis, ante pedes vestros, Judices, inter ipsa subsellia, cædes futuræ sint.* Et Verrina 7. n. 169. *Facinus est vinciri civem Rom. scelus verberari, propè parricidium necari: quid dicam in crucem tollere? &c,* usque ad n. 172. *Ametametsi satis habent.*

10. *Per comparationem*, quando res, quæ tractatur, similiter attollitur vel deprimitur com-

comparata cum altero. Cic. 1. Catil. n. 3. *An verò vir amplißimus P. Scipio Pontifex maximus T. Gracchũ mediocriter labefactantem ſtatum Reip privatus interfecit, Catilinam verò, orbem terræ cæde atq; incendiis vaſtare cupientem nos Conſules perferemus?* Poteſt iſta comparatio etiam traduci ad exempla diſſimilia, quod ſæpe facit Cicero, ut in 4. Verr. n. 51. *Mithridates in Aſia, cùm eam Provinciam totam occupâſſet, Mucia non ſuſtulit hoſtis, & hoſtis in cæteris rebus nimis ferus & immanis; tamen honorem hominis, deorum religione conſecratum, violare noluit: tu Syracuſanos unum diem feſtum Marcellis impartiri vetuiſti, per quos illi adepti ſunt, ut cæteros dies feſtos agere poſſent.*

Quando adhibenda.

v. Quandonam talis amplificatio eſt adhibenda? Reſp. Non ſemper & in re quavis, ſed ſolùm in magnis, quæ ſunt ſcilicet alicujus momenti. Sunt autem aliqua *magna ex natura ſua*, ut res divinæ ac cæleſtes, quæ habent cauſas occultas, quæ ſunt præter morem calamitoſæ, indignæ, pernicioſæ, triſtes; vel contrà lætæ, optabiles, &c. Alia ſunt *magna æſtimatione hominum*; ut quæ maximè proſunt vel obſunt; item ea, erga quæ præcipua veneratione ducimur, putà Deus, patria, parentes, fratres, liberi, conjuges. Neque tamen omnia ſtatim, quæ hos concernunt, magna ſunt; ſed an aliquid tale ſit, judicandum dicentis prudentiæ relinquitur. Juxta Hermogenem

genem magna censentur, quæ, cùm humana sint, inter ipsos tamen homines magni fiunt, ut potentia, generositas, ingenium, fortitudo, victoriæ, triumphi. Cic. pro Ligar. *Nihil habet nec fortuna majus tua, quàm ut possis, nec natura tua melius, quàm ut velis conservare quamplurimos.* Et de Cicer. Vellejus Paterc. l. 2. *Omnia incrementa sua sibi debuit: vir ingenio maximus, qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur.* De eodem Seneca Controv. l. 1. *Illud ingenium quod solum pop. Rom. par imperio suo habuit.* Magna item sunt, quæ inter homines referunt aliquid divinum. Sic aliquis PP. Græc. dixit, vitam Christiani esse imitationem vitæ divinæ: alius Latinorum, diligere inimicos esse ultionem divinæ similem. Cic. ibid. *Homines ad deos nulla re propiùs accedunt, quàm salute hominibus danda.* Rursum Vellejus Paterc. l. 2. de Catone: *Homo virtuti simillimus per omnia, ingenio diis quàm hominibus propior, qui nunquam rectè fecit, ut facere videretur.*

CAPUT VII.

De inventione Affectuum voluntatis in genere.

Motus Affectuum necessarius.

1. AD quid, tanquam primarium caput inventionis, oratoris cura maximè respicere debet? Resp. Ad Affectus voluntatis

tatis excitandos. Hæc planè est præcipua, & tamen parvis oratoribus incognita, pars Rhetoricæ. De Affectibus loquens Quintil. lib.6.c.2. ait: *Huc igitur incumbat orator, hoc opus ejus, hic labor est, sine quo cætera nuda, jejuna, infirma, ingrata sunt. Adeò velut spiritus operis hujus atq; animus est in Affectibus.* Ita ille, nec immeritò: idcirco enim Rhetorica à Cicerone Regina flexanima vocatur, quòd animis dominetur; quod qui nequit efficere, oratoris nomine abstineat. *Probationes efficiunt sanè, ut causam nostram meliorem esse Judices putent, Affectus præstant, ut etiam velint.* Quint.l. 5.c. 3. Quare operæ pretium esset, hanc partem prolixiùs pertractare, quàm alias, nisi compendium mihi præscripsissem: unde capita solùm indicabo.

Quid sit Affectus.

II. Quid est Affectus? Resp. Est vehementior motus animi ex apprehensione boni vel mali ortus.

Quotuplex,

III. Quotuplices sunt Affectus? Resp. Duplices: Leniores & vehementiores.

Ubi excitandus,

IV. Ubi excitandi sunt isti Affectus? Resp. Leniores in Exordio & circa initium. Vehementiores tum in epilogo, tum aliàs, ubi amplificatio rerum adhibetur, de qua dixi ad finem capitis præcedentis.

V. Quot numero censentur Affectus? Resp. Sunt, qui tot adstruant, quot communiter Passiones numerantur, videlicet undecim, quarum sex sunt in appetitu concupiscibili

scibili, ut vocant, putà: *Amor*, *Desiderium*, & *Gaudium* circa bonum; *Odium*, *Fuga*, & *Tristitia* circa malum. Quinque in Appetitu Irascibili: *Spes* & *Desperatio* circa bonum arduum; *Timor*, *Audacia*, & *Ira* circa malum itidem arduum. Præter quos sæpenumero in oratione locum habent sequentes: *Mansuetudo*, *Commiseratio*, *Indignatio*, *Invidia*, *Æmulatio*, *Pudor*, *Gratia*. De singulis breviter aliqua postmodum tradentur.

Quomodo,

VI. Quid universim requiritur, ut quis in animis tales affectus concitet? Resp. 1. Debent auditores de oratore habere existimationem, quòd sit probæ vitæ, prudens, & quòd ipsorum commodis studeat: quæ opinio si desit, non movebuntur. 2. Qui alterum vult movere, priùs ipse sit motus. *Summa enim* (inquit Quintil. l. sup. c.) *quantum ego quidem sentio, circa movendos Affectus, in hoc posita est, ut moveamur ipsi. Nam & luctûs, & iræ, & indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba vultúmq; tantùm, non etiam animum accommodaverimus.* Si animo ita commoto accedat conformis oratio & actio, æqualis passio in auditore consurget; secus non item. Id quod Horat. in Art. poët. innuit:

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primùm ipsi tibi.

Idipsum monet Cicero libr. 2. orat. num. 189. *Neq; fieri potest, ut doleat, oderit,*

rit, &c. qui audit, nisi omnes hi motus, quos orator adhibere volet in Judice, in ipso oratore impressi, atq; inusti videantur. Non sufficit igitur, ut orator more histrionis fingat affectus, quos habet descriptos in sua charta, sed necesse est, ut ipse cõmotus eosdem sentiat in seipso. Quod maximè congruit Oratori sacro, qui cùm prædicet aliis, quod ipsúmmet credere par est & facere, convenit, ut ipse quoq; priorem se moveat ad ea, ad quæ nititur alios impellere. 3. & maximè, cognoscendi sunt mores eorum, quos motos cupimus, tam qui nationi, quàm qui ætati alicui proprii sunt. Aliis enim movetur senex, aliis juvenis, aliis vir, aliis mulier, aliis animus nobilior, aliis ignobilis. *Maxima vis oratoris est in hominum mentibus excitandis, & nisi qui naturas hominum, vim humanitatis, causásq; perspexerit, dicendo quod volet persicere, non poterit.* Cicer. de Invent. *Sagaciter perveſtiget orator, quid hi homines, quibus persuadere vult, cogitent, sentiant, opinentur, exspectent: teneat oportet venas, mentésq; deguſtet.* Idem de Orat. l. 1. n. 223. & n. 286. Ita v. g. volens movere ad reparationem injustè ablati honoris, repræsentet, quàm suus cuique gratus sit, quàm ægrè ferat, illum vel in minimo lædi. De quibus plura Palatium Eloquentiæ Exercit. 6. lect. 1. puncto 5.

Unde petatur.

VII. Qui sunt fontes communes Affectuum? Resp. Sequentes modò cit. Palat. Eloq.

Eloq. puncto 6. monstrat. 1. Servit habitus & oris forma pro quovis ferè affectu. Sic cùm multis vulneribus confossum Publ. Clodii cadaver olim exhiberetur, concionem magnopere cõmovit. 2. Mores & studia virtutis aut vitii, quod commiserationem, odium, invidiam excitat. 3. Fortuna, quod valet ad iram & indignationem adversus improbos, qui eâ probos everterunt, & ad cõmiserationem erga probos. 4. Ætas juvenilis, senilis, aut vegeta virilis. 5. Patria damnum passa vel periclitans. 6. Imbecillitas sexûs; quod pudorem viris, aliàs commiserationem adducit. 7. Communio sanguinis, affinitatis, conditionis, studiorum, conjunctionis, amicitiæ. 8. Locus. 9. Tempus, longum vel breve, commodum vel incommodum, contemptum. 10. Causa. Si quis pro Patria vel virtute patitur, parit amorem; Si probus à conjunctis insciis, cõmiserationem; Si ab improbis, indignationem; Si improbus patitur, delectationem. 11. Modus, quo res contigit, v. g. à genere mortis, gravitate supplíciorum, diritate instrumentorum, &c. 12. Amici vel inimici absentis imago repræsentata. Sic Cicero Pisoni & Vatinio ex formæ & morum descriptione odium conciliat. 13. Similitudines idoneæ. Reliqui fontes Affectuum sunt Loci oratorii, ut Effecta, Antecedentia, Consequentia, Adjuncta,

Enu-

Enumeratio partium, Comparatio, Utilitas vel damnum, Honestas aut indecentia. Eos etiam adjuvant aliquæ figuræ, ut Hypotyposis, Prosopopæia, Exclamatio, Interrogatio, Obsecratio, Communicatio, Ethopæia, Apostrophe, Exclamatio, & aliæ pro diversitate materiæ. Sed nihil magis, ut dixi, conducit, quàm si orator sit ipse motus, tunc enim vel naturâ duce facilè auditoribus imprimet Affectus, quos ipse habet. Qui circa hæc & sequentia desiderat exempla & plura alia, consulat Palatium Eloquent. Exercit. 6. & du Cygne Explanat. Rhetor. l. 1. c. 4.

CAPUT VIII.

De Inventione Affectuum voluntatis in specie.

Amor. 1. QUid est *Amor*? Resp. Definitur ab Arist. l. 2. Rhet. c. 4. quòd sit Affectus, quo quis cupit, &, quantum potest, etiam facit alteri bonum, non sui gratiâ, sed alterius, quem diligit, h. e. per dilectionem non quærendo proprium, sed alterius commodum.

11. Quomodo movetur Amor? Resp. Cùm juxta Senecam amor amoris sit & causa & pretium, ejus primarium illicium est, si ostendamus, nos alterum amare, & quidem, quan-

quantùm licet, ipso etiam opere, bona nostra communicando, idq; non per moduni mercaturæ, sed præcisè amati gratiâ. Deinde si prodamus, nos in bonis amici gaudere, in malis contrà, acsi nostra essent, dolere; eadem cum ipso amare & odisse. Si benevolentiam beneficiáque exhibeamus; morum ac studiorum similitudinem sectemur cum amico in bono & virtute, cùm in malis non sit verus amor aut amicitia. Si appareat insuper comitas, urbanitas, constans fidelitas. Exempla hujus Affectûs elegantia habet Cicero, ut 4. Catil. initio: *Est mihi jucunda in malis & grata in dolore vestra erga me voluntas. Sed eam per deos immortales, quæso deponite, atq; obliti salutis meæ de vobis ac de liberis vestris cogitate. Mihi quidem si hæc conditio consulatûs data est, ut omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatúsq; perferrem, feram non solùm fortiter, sed etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis, populóq; Rom. dignitas, salúsq; pariatur.* Et pro Mil. n. 93. *Me quidem, Judices, exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio assiduè, & quibus interfum quotidie: Valeant, inquit, valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati: Stet hæc urbs præclara, mihíq; patria charissima, quoquo modo merita de me erit, &c.*

111. Quid est *Desiderium*? Resp. Est appetitus boni absentis, quatenus boni, seu sub ratione boni; nam aliqua, in se mala, desiderantur, sed ut nobis repræsentata sub specie alicujus boni. Desiderium.

IV. Quomodo movetur Desiderium? Resp. Ostendendo bonum aliquod absens, cùm sit utile, honestum, jucundum, vel necessarium, simul esse facile: nam nimis arduum concitat desperationem. Non evertitur tamen desiderium, si ostendatur, illud bonum absens esse aliquo modo arduum; imò acuitur illud desiderium per spem obtinendi, si simul exhibeantur media ad ipsius impletionem conducentia & adjuvantia. Ex quibus patet, desiderium incitari per laudem boni absentis. Manifestat suum desiderium Cic. 4. Catil. n. 23. *Quæ cùm ita sint, P. C. pro imperio, pro exercitu, pro Provincia, quam neglexi, pro triumpho, cæteris q; laudis insignibus, quæ sunt à me propter urbis vestræq; salutis custodiam repudiata, pro clientelis hospitiisq; provincialibus, quæ tamen urbanis opibus non minùs labore tueor, quàm comparo, pro his igitur omnibus rebus, pro meis in vos singularibus studiis, próq; hac, quam conspicitis, ad conservandam Remp. diligentia, nihil aliud à vobis, nisi hujus temporis totiúsq; mei consulatûs memoriam postulo.* Ad desiderium vitæ movet Cæsarem à spe in Orat. pro Marcello n. 29. *Nec verò hæc vita tua dicenda est, quæ corpore & spiritu continetur, illa, inquam, illa est vita tua, Cæsar, quæ vigebit memoriâ sæculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Huic tu inservias, hîc te ostentes oportet.*

Gaudium. V. Quid est *Gaudium*? Resp. Cic. 4. Tusc. Quæst.

Quæst. n. 14. Est opinio recens boni præsentis, in quo efferri rectum esse videatur. Vel, ut alii, est sensus animi bono præsenti, & novo, seu insolito, quatenus præsenti, cum delectatione acquiescentis. Habet & iste Affectus non rarò locum in oratione.

VI. Quomodo movetur Gaudium? Resp. Commemoratione & explicatione boni modò descripti, referendo v. g. insperatam mutationem fortunæ adversæ in secundam. Nascitur item Gaudium syncerum ex virtute & bona conscientia. Cic. 2. Catil. initio: *Tandem aliquando Catilinam furentem audaciâ, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, vobis atq; huic Urbi ferrum, flammámq; minitantem, ex urbe, vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe prosecuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit: nulla jam pernicies à monstro illo atq; prodigio mœnibus ipsis intra mœnia comparabitur.* Item in Pison. n. 52.

VII. Quid est *Odium*? Resp. Cic. 4. Tusc. Quæst. n. 4. illud vocat Iram inveteratam. Est Affectus Amori directè oppositus, ex cujus definitione alia hujus definitio facilè fingi potest: contrariorum enim eadem est ratio ac disciplina. Odium.

VIII. Quomodo concitatur Odium? Resp. Oppositis mediis, quæ pro amore movendo sunt adducta. Insuper ex demonstrato alterius odio, incommodis, damnis, præ-

sertim in plures redundantibus, injuriis, diversitate studiorum ac morum, sceleribus, maximè læsione injusta famæ, corporis, aut fortunarum, inurbanitate, inconstantia, infidelitate, ingratitudine, deformitate corporis, hebetudine animi, aut si ex tenui fortuna ad sublimiorem quomodocunque evasit, qua in aliorum damnum abutitur superbè, crudeliter, libidinosè, avarè, impiè agendo. Frequens est in hoc affectu ciendo Cicero, contra Vatinium & Pisonem autem plenus. Pro Ligar. n. 4. *Hæc non modò mirabilia sunt, sed prodigiis similia, quæ dicam. Non habet eam vim ista accusatio, ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. Hoc egit civis Rom. ante te nemo. Externi isti mores usq; ad sanguinem incitare solent odium aut levium Græcorum, aut immanium Barbarorum. Nam quid aliud agis? Ut Romæ ne sit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Brocho, avunculo suo, ne cum ejus filio, consobrino suo, ne nobiscum vivat? ne sit in patria? Num in patria est? Num potest magis carere his omnibus, quàm caret? Italiâ prohibetur, exulat. Non tu ergo hunc patriâ privare, qua caret, sed vitâ vis.*

Tristitia. IX. Quid est *Tristitia*? Resp. Est affectus Gaudio contrarius, unde etiam simili definitione exprimitur, quòd sit dolor mali præsentis, quo nos indignos judicamus.

X. Quomodo excitatur Tristitia? Resp. Iisdem ferè mediis, quibus odium. Insuper ostén-

ostensione calamitatis propriæ vel conjunctissimorum, demonstrata indignitate mali, & difficultate illud depellendi propter potentiam inferentis. Cic. pro Rosc. Amer. n. 23. *Interea iste T. Roscius procurator Chrysogoni Ameliam venit, in prædia hujus evadit, hunc miserum luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri justa solvisset, nudum eiicit domo atq; focis patriis, diisq; penatibus præcipitem exturbat. Ipse amplissimæ pecuniæ fit dominus. Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena. Multa palàm domum suam auferebat, plura clàm de medio removebat, non pauca suis adjutoribus largè, effuséq; donabat, reliqua constituta auctione vendebat. Quod Amerinis usq; eo visum est indignum, ut urbe tota fletus gemitúq; fieret.*

XI. Quid est *Fuga*? Resp. Est affectus Desiderio contrarius. Describitur: Odium mali præsentis, quatenus nobis mali, cui irascimur, & à quo desideramus expediri. Fuga.

XII. Quomodo movetur Fuga? Resp. Excitando odium & iram per expositionem mali indigni, &c. Idcirco procedit ab iisdem mediis, quibus ira & odium, quos duos Affectus consule.

XIII. Quid est *Spes*? Resp. Est appetitus boni absentis, ardui quidem, quod tamen labore potest acquiri. Spes.

XIV. Quomodo movetur Spes? Resp. Cùm amemus bonum, & eo frui desideremus, quod amamus, speremus verò consequi, quod

quod desideramus, quæ ad amorem & desiderium excitandum juvant, etiam spem provocant, maximè si circa illas passiones dictis adjungas honestatem & magnitudinem ejus boni; si ostendas aliqua media & præsidia, atque ex his facilitatem bonum illud cōsequendi; si præmia & fructus exhibeas, ex illius possessione secuturos; in rebus verò sacris certitudinem divini auxilii proferas. Cic. in Catil. 1. & 2. ac nominatim hujus n. 24. *O bellum magnopere pertimescendum, cùm hanc sit habiturus Catilina scortatorum cohortem prætoriam. Instruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias vestra præsidia, vestrósq; exercitus, & primùm gladiatori illi, confecto & saucio, Consules Imperatoréſq; vestros opponite: deinde contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum florem totius Italiæ ac robur educite. Jam verò urbes coloniarum ac municipiorum respondebunt Catilinæ tumulis sylvestribus. Neq; verò cæteras copias, ornamenta, præsidia vestra, cum illius latronis inopia atq; egestate debeo conferre.* Aliud exemplum vide apud eundem pro Lege Manil. n. 48. *Itaq; non sum productus, &c,* usque ad n. 57.

Desperatio. XV. Quid est *Desperatio*? Resp. Est Affectus Spei oppositus. Definiri potest; Diffidentia obtinendi boni nimis ardui, vel mali nimis difficilis depellendi.

XVI. Quomodo movetur Desperatio? Resp. Ostendendo arduitatem illius boni, de-

defectum mediorum, fructus nullos, imò detrimenta consecutura; ignaviam & imbecillitatem ejus, qui tali bono inhiat. Cicer. pro Muræna n. 88. *Si (quod Jupiter omen avertat) hunc vestris sententiis afflixeritis, quò se miser vertet? Domúmne? ut eam imaginem clarissimi viri, parentis sui, quam paucis antè diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominiâ, lugentémq; videat? An ad matrem, quæ misera modò consulem osculata filium suum, nunc cruciatur, & sollicita est, ne eundem paulò post spoliatum omni dignitate conspiciat? Sed quid ego matrem aut domum appello, quem nova pœna Legis & domo, & parente, & omnium suorum consuetudine, conspectúq; privat? Ibit igitur in exilium miser? quo? ad Orientísne partes, in quibus annos multos Legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas gessit? At habet magnum dolorem, unde cum honore decesserit, eodem cum ignominia reverti, &c.*

XVII. Quid est *Timor*? Resp. Est perturbatio ex opinione imminentis mali gravis, periculorum, aut damnorum. Timor.

XVIII. Quomodo movetur Timor? Resp. Cùm pro varietate propensionum alius alia timeat, cuique pro suo ingenio ea mala sunt proponenda, quæ magis horret incurrere, cum repræsentatione periculi vicini & magni ea patiendi. Acuetur metus, quò malum timendum vivaciùs depingetur esse gravius, longius, molestius; bonum vicissim perdendum

dendum majus & charius; denique quò periculum monstrabitur præsentius & inevitabilius, ex portentis, nocendi potestate & voluntate propter æmulationem, improbitatem, offensam, avaritiam, crudelitatem, &c. Cic. pro Muræna n. 85. *Sed quid tandem fiet, si hæc elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, redundârint? Vnus erit Consul, & is non in administrando bello, sed in sufficiendo Collega occupatus, hunc jam qui impediturí sint, parati sunt. Illa pestis immanis importuna Catilina prorumpet, quà poterit, & jam populo Rom. minatur in agros suburbanos repentè advolabit. Versabitur in castris furor, in Curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vastitas, omni autem in sede ac loco ferrum flammámq; metuemus.* Vide etiam 4. Catil. n. 11.

Audacia,

XIX. Quid est *Audacia* seu *Confidentia*? Resp. Est Affectus Timori contrarius. Definitur ab Arist. l. 2. Rhet. c. 5. Spes cum imaginatione rerum salutarium, quæ propè adsint, cùm contrà terribilia vel non sint, vel longè absint. Hoc est: Audacia seu Confidentia est Spes, non qualiscunque, sed firma, obtinendi finis propter media conducentia, quæ sint ad manum; & propter opinionem, ea, quæ terrent, vel penitus non esse, vel longè abesse.

XX. Quomodo movetur Audacia? Resp. Ostendendo alicujus actionis commoda, honestatem, gloriam; media quoque præsen-

tia

tia & efficacia; damna & pericula, quæ timentur, vel nulla ſubeſſe, vel longiùs abeſſe; minores virtute ſimilia ſuperâſſe; neminem, aut ſaltem nullum potentem, obſtare, aut eſſe læſum; quòd quis ſolari ſe poſſit bonâ conſcientiâ & ope divinâ; & alia cauſis timoris contraria. Cic. 4. Philip. n. 10. *Ita futurum eſſe confido; jam enim non ſolùm homines, ſed etiam deos immortales ad Remp. conſervandam arbitror conſenſiſſe. Sive enim prodigiis atq; portentis dii immortal. nobis futura prædicunt, ita ſunt apertè denuntiata, ut & illi pœna, & nobis libertas appropinquet; ſive tantus conſenſus omnium ſine impulſu deorum eſſe non potuit, quid eſt, quòd de voluntate cæleſtium dubitare poſſimus?* Et 4. Catil. n. 11. *Huic ego me bello ducem profiteor: ſuſcipio inimicitias hominum perditorum, quæ ſanari poterunt, quacunq; ratione ſanabo; quæ reſecanda erunt, non patiar ad perniciem civium manare. Proinde exeant aut quieſcant; aut ſi in urbe & in eadem mente permanent, ea, quæ merentur, exſpectent.*

XXI. Quid eſt *Ira*? Reſp. Eſt appetitus vindictæ, ex dolore injuſti contemptûs noſtri vel noſtrorum ortus. Ariſt. l. 2. Rhet. c. 2. Hæc definitio reſpicit ſolam iram, qua iraſcimur ratione præditis, non verò etiam illam, qua efferimur aliquando contra ratione carentia; neque de hac debet eſſe ſermo, ubi agitur de concitandis per artem Affectibus. Ira.

XXII. Quo-

XXII. Quomodo movetur Ira? Resp. Ex demonstratione alienæ injuriæ, bonis nostris vel nostrorum, internis externísve, illatæ, aut certè ab altero destinatæ. Fit hoc in bonis internis per contemptum, contumeliam, infamationem, calumniam; in exteris verò per quodcunq; damnum corpori vel fortunis injustè illatum, quo ad ultionem solemus stimulari; ut cùm impedimur, vel non adjuvamur, vel damnum patimur in aliqua re desiderata. Denique cùm inimicus gaudet nostris adversis & calamitosis casibus, ingratum se præbet,&c. Cic. pro Quinct. n. 97. *Deniq; ipsius inimici vultum superbissimum subiit, ipsius Sex. Nævii lachrimans manum apprehendit, in propinquorum bonis proscribendis exercitatam, obsecravit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipsius conjugem & liberos, quibus propior P. Quinctio nemo est, ut aliquando misericordiam caperet, aliquam, si non propinquitatis & ætatis suæ, si non hominis, at humanitatis rationem haberet, ut secum aliquid, integrâ suâ famâ, qualibet, dummodo tolerabili, conditione transigeret: ab ipso repudiatus, ab amicis ejus non sublevatus, ab omni magistratu agitatus atq; perterritus, quem præter te appellet, habet neminem: tibi se, tibi suas omnes opes, fortunásq; commendat,&c* usque ad finem.

Mansuetudo. XXIII. Quid est *Mansuetudo*? Resp. Est Depressio ac sedatio iræ.

XXIV. Quomodo conciliatur Mansuetudo?

do? Resp. Depellendo injuriæ vel contemptûs opinionem. Ostendendo, alterum de culpa comissa dolere, eam fateri, se læso subiicere, paratum ad opposita iis, quæ fecit, meditatus est, aut paravisse credebatur. Si comonstretur vel virtute præditus, ut adeò non malo animo egerit, vel non considerate, vel sibi non satis præsens; vel exhibeatur aliunde miser, & comiseratione potiùs quàm irâ nostrâ dignus. Demum si ostendatur iræ indecentia; contrà verò animi, sibi imperare potentis, gloria. Cicer. pro Ligar. n. 30. *Ad Judicem sic agi solet. Sed ego ad te parentem loquor: Erravi, temerè feci, pœnitet; ad clementiam tuam confugio; delicti veniam peto, ut ignoscas, oro: Si nemo impetravit, arroganter; si plurimi, tum idem fer opem, qui spem dedisti.*

XXV. Quid est *Commiseratio*? Resp. Est dolor conceptus ex malo alterius, malo indigni, quo se quoque vel suos affici posse cognoscit. Arist. l. 2. Rhet. c. 8. Comiseratio.

XXVI. Quomodo movetur Comiseratio? Resp. Juxta modò datam definitionem ponendo ob oculos mali gravitatem; ejus, qui patitur, alia merita; metum similis mali, quod nobis vel nostris posset accidere. Gravitas autem mali major apparet, si quis ex florente fortuna delapsus est in adversam. Si passus est à conjunctis, iisque hoc malum non intendentibus; nam si scientes alteri

teri nocuissent, non excitaret commiserationem, sed indignationem. Si is, qui patitur, est virtute præditus, saltem mediocri (nam ex mente Arist. de arte Poët. cùm optimi patiuntur gravia, movet indignationem; cùm mali patiuntur, delectationem) & malum non potest excutere. Deinde sunt quædam adjuncta, quæ augent hunc Affectum, ut ætas, dignitas conditionis, sexus, doloris acerbitas, & tamen in eodem constans patientia, diuturnitas, locus, tempus, impotentia seipsum juvandi. Alia per se sunt miserabilia, ut infantia & senectus, morbi graviores, mors intimorum, exilia, supplicatio modesta pro misero, introductio miseri loquentis, quemadmodum facit Cicero pro Mil. n. 93. Vides quoque, quàm aptè hæc congruant sermoni de Zelo Animarum, de auxilio Animabus purgantibus præstando, &c. Cic. pro Fonteio n. 31. *Videte igitur, utrum sit æquius, hominem honestissimum, virum fortissimum, civem optimum dedi inimicissimis atq; immanissimis nationibus, an reddi amicis; præsertim cùm tot res sint, quæ vestris animis pro hujus innocentis salute supplicent: primùm generis antiquitas, quam Tusculo, ex clarissimo municipio, profectam, in monumentis rerum gestarum inciſam, ac notatam videmus; tum autem continua Præturæ, &c.* Vide etiam: Pro Quinct. n. 1. & 2. Pro Flacco n. 97. & 98. Pro Sylla n. 88. Pro Planeio n. 101. & aliàs.

XXVII. Quid

XXVII. Quid est *Indignatio*? Resp. Est dolor de fortuna alterius, illâ indigni; aut de malo illato alteri, qui melior est, quàm illud inferens. Indignatio.

XXVIII. Quomodo movetur Indignatio? Resp. Recensendo vel indignitatem, vilitatem, vitia, insolentiam, crudelitatem, &c, personæ fortunâ gaudentis, qua abutitur; vel decora illius, qui à tali indigna patitur. Sæpius hunc affectum ingerit Cicero tum in aliis, tum in orat. pro Sex. Rosc. Amer. Exemplum, etiam huc spectans, repete ex hujus cap. n. 10.

XXIX. Quid est *Invidia*? Resp. Est dolor de bono, quod obtigit propè simili in genere, propinquitate, ætate, conditione, opibus, gloria; non quia quis vellet bono illo frui, sed quia nollet alterum illud habere, cùm putet, eo iminui suam dignitatem. Ita universim invidi sunt, qui in aliqua re soli optarent excellere, si alium ad suam in eadem re gloriam videant accedere. Differt Invidia ab Indignatione, quòd hæc sit dolor de bono illud non meriti &c; illa verò de bono etiam eo digni. Invidia.

XXX. Quomodo movetur Invidia? Resp. Dicuntur oratores alium in invidiam trahere, quando suam invidentiam etiam in animos auditorum traducturi alterius malos mores & scelera producendo, arguunt, illum suâ fortunâ & bonis esse indignum, ad ea ma-

malis artibus evasisse, honorem aut opes aliis dignioribus præripuisse, aut certè ad aliorum nocumentum illis abuti. Quod in vituperio locum habet. Cic. Act. 1. in Verr. n. 33. *Res omnis mihi tecum erit, Hortensi; dicam apertè: si te mecum dicendo, ac diluendis criminibus in hac causa contendere putarem, ego quoque in accusando, atq; in explicandis criminibus operam consumerem. Nunc quoniam pugnare contra me instituisti, non tam ex tua natura, quàm ex istius tempore, & causa malitiosè, necesse est, istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere.* Vide illum etiam locum 7. Verr. n. 32. *Hunc tu igitur imperatorem esse defendis, Hortensi, &c.*

Æmulatio. XXXI. Quid est *Æmulatio*? Resp. Est dolor honestus de alterius dotibus, non quòd illum vellemus iis carere, sed quia nos iisdem destitui ægrè ferimus. Vel, Est appetitus imitandi aut æquandi alterius præclara ornamenta, qualia sunt: illustria facinora, nominis gloria, virtus, doctrina, sapientia, artes, opes, honores, aptitudo ad res bene gerendas, &c. Non cadit æmulatio in triviales animos; quare ne cura illam excitare, nisi in nobilibus & excelsis spiritibus, qui nesciunt aliis esse inferiores.

XXXII. Quomodo movetur Æmulatio? Resp. Ejus capacibus ostentando illustria aliorum decora; proferendo facta imortalitate digna, vel Majorum, vel unà viventium; extollendo dignitatem & generosam indo-

indolem illorum, quos cupimus ad imitationem incitare; laudis & gloriæ excellentiam jactando, quam paria factitando valent adipiſci; præmia diverſa virtutis proponendo. Sic Cicer. pro Lege Man. n. 11. hortatur exemplo Majorum ad ultionem de hoſtibus ſumendam. Act. 1. in Verr. n. 51. *Suſcipe cauſam judiciorum; ſuſcipe cauſam ſeveritatis, integritatis, fidei, religionis; ſuſcipe cauſam Senatûs, ut is hoc judicio probatus cum populo Rom. in laude & in gratia eſſe poſſit. Cogita, qui ſis, quo loco, quid dare populo Rom. quid reddere Majoribus tuis debeas. Fac tibi paternæ Legis Aciliæ veniat in mentem, quæ, &c.* Vide etiam 1. Philippicæ n. 34.

XXXIII. Quid eſt *Pudor*? Reſp. Eſt dolor ac perturbatio animi ex malis, quæ infamiam generant, ſeu præterita illa ſint, ſeu præſentia, ſeu futura. Pudor.

XXXIV. Quomodo movetur Pudor? Reſp. Exponendo turpitudinem facti, malum infamiæ, deformitatem vitii in genere, & in ſpecie illius, de quo agitur, fructus exitioſos, inde natos, & ulteriùs prodituros. Sunt autem quædam ex ſua natura judicio hominum infamia, ut laſcivia, avaritia, timor & ignavia, lentitudo & inhabilitas ad res agendas, impudentia, ſtoliditas, inſcitia, ingratitudo, infidelitas, injuſtitia, perfidia, imbecillitas & hebetudo animi, &c. Quorum deformitatem ſatis eſt ad oculum

ex-

exhibere, ut erubescamus & execremur. Cic. pro Lege Manil. n. 70. *Et quoniam semper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atq; avidi laudis fuistis, delenda est vobis illa macula, Mithridatico bello superiore suscepta, &c.*

Gratia. XXXV. Quid est *Gratia*? Resp. Est voluntas gratis, hoc est, sine spe ex parte nostra, bene meritis beneficium præstandi. Qui Affectus habere potest locum in Deliberationibus.

XXXVI. Quomodo movetur Gratia? Resp. Producendo alterius merita, vel quòd aliàs nobis fuerit utilis, vel quòd ad nos aliqua ratione spectet, vel quòd miser sit, & ad opem nostram se conferat, vel quia dignitas conditionis favorem meretur, vel ob temporis injuriam. Adducenda gloria talis facti; aliàs etiam exempla Majorum & aliorum, qui idem præstiterunt. Cic. pro Rosc. Am. in fine: *Unum perfugium, Judices, una spes reliqua est Sex. Roscio, vestra pristina bonitas & misericordia, &c.*

XXXVII. Quid agendum oratori, si ad aliquem Affectum volens incitare, cognoscat, auditores opposito jam occupatos esse? Resp. Si v. g. ad amorem volens movere, sciat, jam prævalere odium, & sic de aliis loquendo, imprimis depellat omnes causas, quæ ad odium concitant, easdem confutando, ac dein rationes, amorem suadentes, afferat.

XXXVIII. Quid adhuc circa ciendos Affectus univer-

universim observandum? Resp. 1. Ut orator per artem successivè, & quasi clanculum se insinuet in animos, neque unquam apertè verbis prodat, illud se agere, quod maximè agit. Nescio, qua ratione auditores, si quando advertant, suæ voluntati ex destinato quasi vim intentari, eandem obdurent, & velut in oppositum obarment. 2. Idcirco argumenta sapienti quadam dissimulatione nonnunquam omittenda paululum, nec idem Affectus continuato impetu diutius urgendus, sed providè aliqua interponenda, ut post aliquod intervallum filum reassumatur. 3. Ad nauseam vitandam Affectus nunquam nudè sunt proponendi, sed semper cum eleganti varietate alio & alio verborum sententiarúmque ornatu compti prodeant. Qua in re non tam præceptis quàm ductu prudentiæ, lectione, & exercitio opus esse videtur. 4. Dum affectibus excitandis studet, abstineat ab enarrandis historiis, & citandis locis S. Scripturæ vel SS. PP. nisi ii ipsi tales sint, qui propositos affectus certò promoveant. 5. Fortiùs animos commovent præsentia, quàm longè pòst futura. Sic v.g. post satis exterritum auditorem patefactâ enormitate criminum ipsius, severitate divinæ Justitiæ, proximo periculo castigationis &c, mox transeat ad porrigenda remedia, quibus omnia hæc imminentia mala prævertat. 6.

Totus ardeat orator. Idcirco sibi vires ad hæc extrema reservet. 7. Naturam in Affectibus provocandis proximè imitetur.

CAPUT IX.

De inventione Amplificationis Verborum.

1. QUotuplex est Amplificatio? Resp. Duplex. ***Rerum***, de qua proximis capitibus actum, & ***Verborum***, quam nunc, tanquam partem minimè postremam Rhetoricæ fusiùs tractare aggredior.

Amplificatio verborum quid.

II. Quid est Amplificatio Verborum? Resp. Est rerum inventarum fusior cum ornatu dilatatio. ***Rhetorica convenientiam habet cum Dialectica. Arist.*** L. 1. Rhet. c. 1. Comparat Zeno Stoicus Logicam pugno, Rhetoricam palmæ, seu manui contractæ & exporrectæ; alii conferunt illam tenui rivulo, hanc torrenti latè planitiem obtegenti, quòd, cùm utraque amplificet, Logica id pressiùs faciat intra limites contractarum ratiocinationum, Rhetorica iisdem quidem & ipsa utatur, sed fusiùs diductis. Validiora certè sunt, quæ in ratiocinatione fundantur, nec animus resistit, ubi videt Religionem concordare cum ratione.

III. Quot

III. Quot modis fit Amplificatio Verborum? Resp. Plurimos quidam afferunt; ego eos seligam, qui meliores videbuntur, & per distincta capita claritatis causâ deducam.

IV. Quod est fundamentum omnis Amplificationis? Resp. Juxta mea principia est Ratiocinatio, de qua idcirco primo loco agendum. Ejus fundamentum.

V. Unde igitur, & qua methodo inchoanda est Amplificatio? Resp. Ordior hinc tradere doctrinam, Libro 6. meliùs exemplis declarandam, quæ utì non penitùs nova est, ita pluribus incognita, & fortè, si ritè percipiatur, à pluribus exercenda. Certè novi, qui orationes modo, nunc explicando, componentes miram facilitatem experiantur. Aio igitur, Amplificationem incipiendam à Propositione totius Orationis; hoc modo. Inventâ Propositione forma Syllogismum, vel aliam Argumentationem, cujus Complexio, seu Conclusio contineat hanc ipsam Propositionem Orationis. E. G. Tua Propositio est: *Qui sæpe relabitur in peccata mortalia, aliquando inopinatò non surget.* Hinc confice istum Syllogismum: *Non possumus surgere à lapsu in peccatum mort. sine speciali gratia Dei. Qui frequenter relabitur in peccata mort. aliquando inopinatò non habebit talem specialem gratiam Dei: Igitur qui frequenter relabitur in peccata mortalia, aliquando inopinatò non surget.* Jam ex Modus per Ratiocinationem.

hac & similibus Argumentationibus, quæ sunt fundamentum & synopsis totius Orationis, sume pro Exordio illam partem (sive sit Major, sive Minor propositio Syllogismi, quas duas partes Rhetorica Propositionem & Assumptionem vocat) quæ probatione minùs indiget. Illam, quæ probationem desiderat, serva pro Confirmatione. Ex Complexione seu Conclusione istius Syllogismi confice Epilogum. Quo fiet, ut, quemadmodum oportet, idem, licèt non eodem modo, nec iisdem verbis, dicas in Epilogo, quod dixisti in Propositione totius Orationis, atque ab ejus principio usq; ad finem inhæreas tuo proposito, hac primaria Argumentatione velut cancellis inclusus. Dum contrà videmus, quòd non rarò liber orator ita evagetur, ut planè suæ propositionis oblitus aliud in Epilogo conficiat, quàm quod initio proposuit. Quodsi modus iste nihilominus tibi forsan non probetur, per me illo abstine: æquè tamen ad alias orationes, tuo modo faciendas, servient, quæ hactenus dicta sunt, & in sequentibus dicentur.

VI. His positis, quomodo continuatur Amplificatio? Resp. Inhærendo allato exemplo, Major, sive Propositio Syllogismi fundamentalis (sic ipsum vocare placet) est satis liquidæ veritatis. Cùm igitur probatione non egeat, erit materia Exordii, præcisè dilatanda

latanda modo aliquo ex postea referendis. Hanc ita dispone, ut Propositio Orationis sub finem Exordii non tantùm quomodocunque ponatur, sed ita naturaliter ex constitutione & contextu Exordii nascatur, & quasi emanet, ut si quid aliud, quàm hanc ipsam Propositionem, velles afferre, minimè quadraret. Sed his L. 6. exempla dabunt majorem claritatem. Inde transi ad Confirmationem, quæ in hoc argumento assumenda est ex Minore seu Assumptione Syllogismi primarii, cùm ista probationem requirat. Itaque ex Locis oratoriis quære argumenta. V. G. 1. *Quò frequentiores sunt lapsus, eò gravius Deus irritabitur. 2. Ita irritatus graviter puniet subtrahendo efficacem gratiam resurgendi.* Quæ sunt ambo petita ex Loco Effectorum. Hæc argumenta iterum dilata per argumentationem hoc modo: Primum. *Cùm Deus quolibet peccato irritetur, tantò magis irritabitur, quantò infidelitas gratiæ exhibita fuit major. Tantò hæc est major, quantò frequentior: Igitur quantò infidelitas Gratiæ exhibita frequentior fuit, tantò magis Deus irritabitur.* Secundum. *Cùm quodvis peccatum mereatur pœnam, plura graviorem merentur. Sed non est gravior pœna, quàm subtractio Gratiæ efficacis à peccato resurgendi: Igitur plura peccata hanc merentur.* Jam ex his Argumentationibus argumentorum sume unam partem post alteram, per modos amplificationum dilatandam. Potes autem

in-

incipere à parte, qua lubet, quæque tibi magis idonea videtur pro facienda connexione cum præcedentibus & sequentibus. Uno argumento absoluto fac transitionem ad alterum, modo infra quoque ostendendo. Illud pari ratione rursus amplifica. Sequetur Confutatio, vel Epilogus, cujus amplificandi methodum suo loco declarabo. Hunc modum argumenta per argumentationes dilatandi Ciceroni fuisse usitatum, demonstrant Freigius in Com̃ent. in Cicer. & P. du Cygne in Analysi Ciceron.

VII. Quid verò faciendum, si tam Major quàm Minor postulat probationem? Resp. Erit nihilominus ex duabus his Propositionibus controversis una certior alterâ. Certiorem, si lubet, adhibere poteris pro materia Exordii, in quo necesse erit illam breviter rationibus stabilire. Quoniam tamen periculum est, ne propter has probationes Exordium ultra convenientem magnitudinem excrescat, suaserim utramque propositionem dubiam ad Confirmationem transferre, probandam. At unde dein Exordium? Resp. Ex visceribus causæ, h.e. argumentis secuturis, jam in Exordio aliquo modo indicatis; prout aliàs dicetur. Interim constet ex modò dictis, argumentationem esse fundamentum Dilatationis, quam propterea oportet primo loco declarare. Sit igitur

CA-

CAPUT X.

De Argumentatione, & ejus speciebus.

Argumentatio quid.

I. QUid est Argumentatio, per quam argumenta primò dilatari dixi? Resp. Est fusior argumenti explicatio. Argumentum quodvis, ex Locis oratoriis depromptum, est res in se brevis, nec idonea implendæ orationi, oratorio modo propositæ; debet igitur per artem extendi & expoliri. Fit hoc per Argumentationem initio; actum ista ulteriùs diducitur per alios modos dilatandi.

Ejus Species.

II. Quot sunt species Argumentationis? Resp. Octo. Ratiocinatio, seu Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum, Sorites, Dilemma, Epicherema, Collectio. De singulis nunc breviter.

Syllogismus.

III. Quid est *Syllogismus*? Et quas habet partes? Resp. Est argumentatio perfectissima, quæ apud Philosophos tres tantùm partes habet, *Majorem, Minorem, & Conclusionem.* Rhetores illas vocant *Propositionem, Assumptionem, & Complexionem.* Ego Propositionem in sequentibus sæpius *Majorem* vocabo, ut vitetur confusio inter Propositionem Syllogismi & Propositionem totius orationis. Sed apud Rhetores Syllogismus habet

habet 5. partes : nam quando controversa est *Major* seu *Propositio* ejusdem, additur *Ratio Propositionis.* Si dubia sit *Assumptio*, ejusdem *Probatio* subjungitur.

IV. Quomodo fit Syllogismus? Resp. Profiteor in hoc libello Rhetoricam, non Dialecticam, cujus est enucleatiùs docere artificium syllogisticum, ex qua hoc tibi cognitum esse supponitur. Dabo tamen hîc rudem aliquam ipsius ideam. Syllogismus est Argumentatio, in qua affertur ratio quædam communis & generica, quæ sit notior ad probandum. Et hæc pars vocatur *Propositio Major.* Assumitur deinde, adjungendo aliquid aliud minùs notum: & hæc appellatur *Propositio minor.* Ex utraq; demum eruitur *Conclusio*, seu *Complexio*, sic dicta, quòd utramq; complectatur, quòd se supra duas præcedentes Propositiones reflectat, seu ex iisdem legitima consecutione deducatur, emanet, & concludatur. Ut si velles probare, *Fugiendam esse voluptatem.* Quære rationem aliquam communem, qualis est: *Omne, quod nocet, est fugiendum*: erit ratio, quam contra voluptatem Horatius affert: *Nocet empta dolore voluptas.* Inde conficies hunc Syllogismum tripartitum. Major: *Quidquid nocet, est fugiendum.* Minor: *Nocet empta dolore voluptas.* Conclusio: *Igitur empta dolore voluptas est fugienda.* Si velis facere Syllogismum 4. aut

5. par-

5. partium, sic istum auge: *Major*; Quidquid nocet, est fugiendum. *Ratio Propositionis*: Sic enim toxica & feras bestias fugimus. *Minor*: Nocet empta dolore voluptas. *Probatio Assumptionis*: Nam non sine dolore acquiritur; gustata corpus & animam occidit, opes & honores perdit. *Conclusio*: Igitur empta dolore voluptas est fugienda.

v. Quid circa hanc & alias argumentationes observandum? Resp. 1. Syllogismum oratorium non necessariò habere quartam vel quintam partem, sed alterutram vel utramq; addi, quando Major, vel Minor, vel utraq; hæc propositio controversa est, & probatione indiget. 2. Syllogismum & quamvis aliam argumentationem nequaquam ab Oratoribus nudè, & nunquam apertè proponi, sed per modos amplificandi dilatari, & Figuris ita exornari, ut Syllogismus vel alia argumentatio non ampliùs appareat. 3. Sicut non necessarium est in dilatatione sequi ordinem Propositionum, ut incipias à Majore, tum ad ejus Rationem &c. procedas, quod suprà monui, ita non esse necessarium, ut semper omnes has partes argumentationis amplifices, cùm præsertim contingere possit, ut plurium argumentationum conclusiones ferè in idem recidant, adeóq; eadem res aliis verbis sæpius tædiosè deberet inculcari. 4. Rhetores non esse anxios, an Syllogismi, quos

quos faciunt, sint ad omnes Canones Dialecticæ exactissimi: esto enim, quòd aliquis habeat 4. terminos, nihil obest amplificationi, cùm cuilibet parti dubiæ possit addi sua probatio. Fateor tamen, quòd argumentatio eò meliùs stringat, quò accuratiùs facta est. Præcipuè verò Syllogismus primarius, qui totius Orationis fundamentum est, defectu careat.

Enthymema. VI. Quid est *Enthymema*? Et quomodo fit? Resp. Est Syllogismus imperfectus, & illius pars; omittitur enim Syllogismi Major vel Minor, & unicæ parti statim subditur Conclusio. Ut: *Rhetorica est ars bene dicendi: Ergo etiam sacris oratoribus est necessaria.* Ex quibus 2. partibus facilè potest fieri integer Syllogismus tertiam addendo. *Ars bene dicendi etiam sacris oratoribus est necessaria. Rhetorica est ars bene dicendi. Ergo Rhetorica etiam sacris oratoribus est necessaria.* Quodsi prima pars Enthymematis (quæ à Logicis *Antecedens* vocatur) vel ejus Conclusio probationem exigat, potest illa in dilatatione adjungi. Non tamen idcirco fiet ex Enthymemate Syllogismus, utì constat vel hospiti in Dialectica.

Inductio. VII. Quid est *Inductio*? Et quot modis fit? Resp. Est Argumentatio, quæ ex pluribus præmissis non dubiis infert Conclusionem, quam orator intendit. Fit autem duobus modis. 1. *Enumeratione* plurium specierum, ex quibus in Conclusione infertur Genus.

Ut:

Ut : *Cùm Rom. Resp. occideret, vigebat in senatoribus discordia, in civibus luxus, in militibus ignavia, in juvenibus otium: quis igitur non videt, vitium hanc Remp. perdidisse?* Item: *Hic Sanctus habuit Charitatem, insignis erat Humilitate, enituit Patientiâ, &c. Igitur virtute erat præditus.*

2. *Similitudine*, quando ex pluribus similibus indubiis Conclusio inducitur. Ut: *Quis optimus arborum fructus, nisi qui dulcissimus? Quod astrum primum, nisi quod clarissimum? Quænam summa pulchritudo, nisi ea, in qua lineamenta omnia perfecto inter se ordine consentiunt? Quænam igitur præstantissima virtutum, nisi Prudentia, cujus inter cæteras & fructus suavissimi, & fulgor eximius, & ordo perfectus?* Notandum circa Inductionem, ea, quæ præmittuntur, ut ex iis fiat applicatio in Conclusione, debere esse indubitata, & id, cui talia præmissa applicantur, debere ipsis esse simile.

Exemplum.

VIII. Quid est *Exemplum*? Resp. Est Inductio imperfecta, qua ab uno simili aliud simile particulare infertur. Ut: *Servilius Ahala, qui occiderat Spur. Melium, non est condemnatus: neq; igitur Milo, qui Clodium, Melio sceleratiorem, occidit, est morte mulctandus.* Differt Exemplum ab Inductione, quòd hæc ex specie Genus, vel ex *pluribus* similibus aliud simile; Exemplum verò ab *unico* simili aliud simile non genericum, sed particulare inferat. Differt ab Enthymemate & Syllogismo

gismo, quia in his semper aliquid generi-
Sorites. cum præmittitur aut concluditur.

IX. Quid est *Sorites*? Resp. Est Argumentatio, quæ velut per gradus à multis coacervatis Propositionibus, quarum sequens semper præcedentis prædicatum, ultima verò primæ subjectum repetit, ad Conclusionem descendit. Clarè in exemplo. *Ciceroni industria peperit artem, ars aptitudinem ad promovendum bonum publicum, hæc aptitudo communem æstimationem, communis æstimatio senatoriam & consularem dignitatem. Igitur Ciceroni industria peperit senatoriam & consularem dignitatem.* Cavendum in hac Argumentatione, ne qua ipsius pars sit falsa, aut nitatur malo supposito, aut acceptione fallaci; alioquin prodibit falsa Conclusio, uti contingit in hac Argumentatione: *Peccatum non est, ubi non adest voluntas peccandi; voluntas peccandi non adest, ubi non est cognitio peccati; In plenè ebrio non est cognitio peccati, Igitur in plenè ebrio non est peccatum.* Aliud siquidem est, ebrium non actu peccare; aliud, in ipso non esse peccatum ebrietatis. Item in hac: *Bibliopola habet multos libros, eósq; sæpe evolvit; Qui multos libros sæpe evolvit, multùm studet; qui multùm studet, evadit doctus. Igitur Bibliopola evadit doctus.* Prima propositio malè accipit verbum *evolvo* pro *lego*.

Dilemma. X. Quid est *Dilemma*? Resp. Est Argumentatio, cujus prima propositio habet duas partes

partes contrarias, ita constitutas, ut, utramcunque illarum concesseris, tenearis. In exemplo. Trajanus Imp. Christianos, idolorum contemptores, eo nomine impietatis arcessebat, & acerrimè persequebatur. Rescripsit is Plinio Sec. Lib. 10. Epist. 98. *Conquirendi non sunt: si deferantur, & arguantur, puniendi sunt.* Unde hoc Dilemmate Trajanus injustitiæ arguitur: *Vel impii sunt Christiani? vel non sunt impii? Si sunt impii, Imperatoris est curare, ut conquirantur, ne impii tolerati noceant piis. Si non sunt impii, neq; cùm deferuntur & arguuntur, puniendi sunt, cum solo nomine impietatis puniantur. Itaq; injustum & iniquum est Trajani rescriptum.* Est argumentatio, quam Tertull. in Apolog. c. 10. format his verbis: *O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos, ut innocentes, & mandat, puniendos, ut nocentes. Parcit, & sævit; dissimulat, & animadvertit. Quid temet ipsum censurâ circumvenis? si damnas, cur non inquiris? Si non inquiris, cur non & absolvis?* Sic Cic. pro Sex. Rosc. Amer. *Si Sex. Roscius patrem suum occidit, vel per se, vel per alios occidit? Non per se; quia tunc, cùm occideretur Romæ, ipse fuit Ameriæ. Non per alios; quia nullos possunt adversarii proferre, per quos parricidium patrârit. Igitur non ipse occidit patrem.* Et 4. Verr. n. 150.

XI. Quomodo solvi potest Dilemma ab adversario factum? Resp. Si bene sit factum, ut pars utraque primæ propositionis stringat, solvi non potest. Si verò malè sit factum, hoc est

est, si alterutra vel utraque pars sit captiosa, aut aliquid falsò supponat, aut dubia pro certis afferat, diluitur detegendo captionem, vel falsitatem, vel infirmando partem dubiam, pro certa prolatam.

Epicherema. XII. Quid est *Epicherema*? Resp. Est brevis Ratiocinatio, quæ unica propositione integram Argumentationem in se complectitur, & æquat. Ut: *Filius audeat matrem percutere*? Æquivalet enim huic: *Impius est filius, qui matrem audet percutere. Cajus filius audet percutere matrem: Ergo Cajus filius est impius.*

Collectio. XIII. Quid est *Collectio*? Resp. Est Argumentatio, quæ habet 5. partes. 1. Propositionem, 2. Rationem propositionis, 3. Confirmationem rationis, 4. Exornationem confirmationis, 5. Complexionem, quæ debet concordare & eadem esse cum Propositione. Usus est Cicero tali argumentatione in Catilinaria 2. & 3. Prioris *Propositio* post breve Exordium est: Utile est, Catilinam cum suis discessisse ex Urbe. *Ratio.* Quia ipsius socii magis erant in urbe timendi ob insidias, quàm extra urbem. *Confirmatio.* Fuerunt enim in urbe maximè flagitiosi, audaces, luxuriosi, obærati. *Exornatio.* In campo verò non subsistet ista militum colluvies contra firmissimum robur ac præsidium. *Complexio*, unáque Peroratio. Accedit vigilantia Consulis cum auxilio deorum robori Italiæ, ut adeò nihil sit timendum, sed utile,

Cati-

Catilinam cum ſuis diſceſſiſſe. Poſterioris *Propoſitio* : Hic dies ſupplicatione deorum eſt celebrandus. *Ratio.* Quia hodie Cicero Remp. ſervavit. *Confirmatio.* Nam conſilio & induſtria conjurationem Catilinæ detexit, & extinxit. *Exornatio.* Fuit hæc Conſulis induſtria ſingularis, quòd atrociſſimam longè conjurationem ſine ſanguine civium extinxerit. *Complexio*, & ſimul Epilogus. Quare hic dies cùm æterna Ciceronis Coſ. memoria, tum ſupplicatione deorum eſt celebrandus. Ubi vides, Ciceronem primariam Argumentationem per totam orationem traducere, quod, ſicut poteſt fieri per Collectionem, ita per Syllogiſmum aut aliam argumentationem. Si quis etiam velit adhibere Collectionem pro tota oratione, nihil obſtabit, quò minùs ipſius Rationem, Confirmationem, & Exornationem amplificet per alias Argumentationes, quemadmodum indicavi, has verò dein dilatet per ſequentes modos amplificandi partes Argumentationis, & quæcunque alia.

CAPUT XI.

De modis variandi argumentationes.

1. QUid curandum, ne Argumentationes tædium afferant auditoribus? Reſp. Sicut

Sicut aliarum, ita hujus rei, faſtidio medetur varietas. Orator auditores à ſe avertit, quando vel ſæpius eadem, vel diverſa eodem modo prolata ingerit.

11. Quibus modis variari poteſt Argumentatio? Reſp. Pluribus, quorum præcipuos hîc adducam. 1. Non eædem perpetuò aſſumantur, ut in ſingulis argumentis non niſi Syllogiſmi, vel Enthymemata, &c. occurrant. Sicut enim ineptum eſt omnia argumenta ex eodem Loco oratorio petere velle, ita inſulſum omnia eâdem argumentationis ſpecie, aut eodem dilatandi modo tranſigere. Idcirco 2. mutentur etiam modi iſti amplificandi. 3. Varietur ordo in dilatatione, ne hanc ſemper auſpiceris à Majore, tunc ad ejus Rationem, deinceps ad Aſſumptionem, poſtmodum ad hujus Probationem, ac demum ad Complexionem procedas; ſed ſtudio nonnunquam dilatationem ab Aſſumptione, aliàs ab alia parte ordire, exemplo Ciceronis, quod Freigius monſtrat. 4. Omittatur etiam quandoq; una pars Argumentationis, quæ minùs neceſſaria videbitur ad integritatem, aut ea certè breviter& velut neglectim afferatur, ſolúmq; tangatur. Quod ſupra circa Complexionem jam monui, aliquando neceſſarium eſſe. 5. Tot ſunt modi variandi, quot ſuntFiguræ celebriores; hæ enim faciunt, ut Argumentatio eadem non eadem eſſe appareat. Si argumenta-

gumentationes sunt propter suam soliditatem & vim velut ossa & nervi orationis, monstra nihilominus sunt, nisi alio amplificationis ornatu convestiantur, sicut natura corporis ossa, nervósque obtegit. Nihil magis displicet in oratione, quàm sicca quædam & dialectica apertarum argumentationum continuatio. 6. Interdum Orator, quod simplici affirmatione posset exprimere, imperandi vel optandi modo enuntiat; communicatione, deliberatione, exclamatione, interrogatione, apostrophe, aliisque similibus Figuris utitur. 7. Denique variatur aliis aliisque modis transeundo ab una argumentatione, vel aliqua ejus parte, ad alteram, quamlibet diversimodè incipiendo. Pro quo adjungo

CAPUT XII.

De variis modis Transitionum.

1. QUid intelligitur nomine Transitionis? Resp. Modus ab una parte orationis ad aliam eleganter pergendi, & præcedentem cum sequente aptè connectendi. Facessit hæc res, incipientibus præsertim, non modicam difficultatem, quæ sola tamen si desit, oratio deturpatur, ut appareat instar muri, cujus lapides calce non copulantur. Plurimùm ab Oratore abhorret jejunus ille

Transitio quid.

ſcholarum ab una parte vel argumento tranſitus per numeros, oppoſitio objectionum & ſolutio, his & ſimilibus formulis: *Sed dicet aliquis, &c. cui reſpondeo, &c. opponit alius, &c.* Produnt & illæ inopiam Oratoris, quando explanaturus aliquem locum S. Scripturæ dicit: *Quæ eſt hujus rei cauſa? Reſpondet hic vel ille S. Pater, &c.*

11. Habentúrne aliqua præcepta certa circa has tranſitiones? Reſp. Nulla: ſed res tota pendet à lectione Oratorum, & cujuſque ingenio, partes ſuæ orationis appoſitè conjungentis, ut artificiosè cohæreant.

Ejus formulæ.

111. Quæ ſunt tamen formulæ Auctoribus magis conſuetæ? Reſp. De his libellum edidit Ivarus Petradolphus. Aliquas habet Candidatus Rhetor. P. 1. Progymn. 3. de Chria, & P. 2. Progymn. 3. de Figur. Sentent. in fine, V. *Tranſitio.* Tyrocin. Eloq. L. 4. c. 6. Palatium Eloq. Exercit. 4. lect. 4. punct. 4. & 5. Du Cygne Explanat. Rhet. L. 1. c. 2. art. 6. Aliquos tales modos, cum Du Cygne ex Palat. Eloq. mutuatos hîc adſcribo. 1. Orator interdum ſimpliciter & ingenuè rem proponit. Cic. pro Mur. n. 54. *Nunc mihi tertius ille locus eſt orationis de ambitûs criminibus.* 2. Brevi repetitione priorum ſequentia connectit. Pro Lege Man. n. 20. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Et n. 27. *Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine*

gnitudine periculosum. Restat, ut de Imperatore ad illud bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum esse videatur. 3. Simplici conclusione, præsertim cùm ad finem properat. Pro Mur. n. 86. *Quæ cùm ita sint, Judices, primum Reip. causa, qua, &c.* 4. Simpliciter proponit causæ fiduciâ, quæ ab aliis velut firmissima argumenta prolata sunt. Pro Mil. n. 7. *Negant intueri lucem fas esse ei, qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe, &c.* 5. Causam reddit, cur ad alia festinet. Pro Mur. n. 7. *Sed me non minùs hominis sapientissimi Serv. Sulpitii conquestio, quàm Catonis accusatio commovebat.* 6. Conclusione viam facit ad sequentia. Ibid. n. 14. *Nihil igitur in vitam Murenæ dici potest? Nihil, inquam, omnino. Quo constituto facilior est mihi aditus ad contentionem dignitatis, quæ pars altera fuit accusationis.* 7. Per Præteritionem. Ibid. n. 18. *Omittamus igitur de genere dicere, cujus est magna in utroq; dignitas: videamus cætera.* 8. Per Concessionem. Ibid. *Sed hæc sanè paria sint omnia; sit par forensis opera militari; sit par militari suffragatio urbana; Quid? In ipsa Prætura nihilne existimas inter tuam & illius sortem interfuisse?* 9. Rogat, ne sibi dicenti fides habeatur, nisi rem ad oculum demonstret. Pro Mil. n. 6. & pro Rosc. Amer. n. 8. 10. Per Anteoccupationem id affert ultrò, quod ab alio posset obiici. Pro Mil. n. 15. *Etenim Cn. Pompeius rogatione sua & de re, &*

de causa judicavit: tulit enim de cæde, quæ in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit. Quid ergo tulit? nempe ut quæreretur. 11. Una vox repetita plures rationes connectit. Ibid. 38. *Quem si interficere voluisset, quanta quoties occasiones, quàm præclaræ fuerunt? Potuítne, cùm domum ac deos penates suos illo oppugnante defenderet, jure se ulcisci? Potuítne cive egregio & viro fortißimo P. Sextio, collega suo, vulnerato? Potuítne Fabricio, &c.* 12. Re una probata profitetur expeditum deinceps cursum fore. Ibid. n. 48. *Respiravi, liberatus sum: non vereor, ne, quod ne suspicari quidem potuerim, videar id cogitâsse.* Rursus n. 56. excitat suos auditores: *Age nunc, &c.* 13. Post majores rationes allatas minores coacervat. Ibid. n. 57. *Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martémq; communem, qui sæpe spoliantem jam & exultantem evertit & perculit ab abjecto, adde inscitiam pransi, poti, oscitantis Ducis, qui, &c.* 14. Seipsum interrogat, velut dubius, an nihil supersit, an rei nullius sit oblitus? *Quid restat? &c. Nihílne eorum, quæ promissa sunt, prætérii? &c.* 15. Per incrementum, dicendo, quæ dicta sunt, levia esse comparatione mox subjungendorum. Philip. 2. n. 20. *Sed hoc non hujus temporis: ad majora veniamus.* Et n. 78. *Sed nimis multa de nugis, ad majora veniamus.* Et n. 25. *Sed hæc vetera, illud verò recens.* 16. Post interposita quædam ad priora redit. Ib. n. 101. *Sed ad iter Italiámq; redeamus.* 17. Committit aliquid

aliquid auditorum memoriæ. Pro Mil. n. 97. *Mandate hoc memoriæ,&c.* Et post quædam interjecta eadem resumit. Vel ait, se non probandi, sed renovandæ memoriæ causâ quidpiam attingere. Phil. 2. n. 57. *Scio, me in rebus celebratissimis sermone omnium versari, eáq; quæ dico, dicturúsq; sum, notiora omnibus esse, &c. notabo tamen singulas res, &c.* Vel festinationem præsefert, ne majora sibi excidant. Ibid. n. 84. *Sed ne fortè ex multis rebus gestis M. Antonii rem unam pulcherrimam transiliat oratio.* Vel memoriam aliorum suscitat. Ibid. n. 115. *Recordare igitur illum, &c.* 18. Pœnitentia quasi ducitur, quòd uni rei, neglectis melioribus, diutius inhæserit. 2. Catil. n. 71. *Sed cur tamdiu de uno hoste loquimur, & de eo hoste, qui jam fateatur, se esse hostem, & de his, qui dissimulant, qui Romæ remanent, qui nobiscum sunt, nihil dicimus?* 19. In longiore sermone attentionem renovat; quod pluribus modis fieri potest. 20. Per Allegoriam. Pro Sextio n. 13. *Verùm hæc ita prætereamus, ut tamen intuentes & respectantes relinquamus. Ad Tribunatum, quia ipse ad se jamdudum vocat, & quodammodo absorbet orationem meam, contento studio cursúq; veniamus.* 21. Per Comparationem. Philip. 7. *Neq; verò illa pax cum Antonio turpior, quàm periculosior censeri debet.* 22. Per aliquid consequens ex præcedente. *Quæ cùm sint gravia, illud acerbissimum, &c.* 23. Per Dubitationem. *Quid nunc de virtutis honestate dicam? &c.* 24.

Per

Per Communicationem. *Jam quæro ex vobis, ſitne æquum, &c.* 25. Per Apoſtrophen. *Vos appello, qui per ſcientiam ad honores evaſiſtis, malène locatos labores cenſeatis?* 26. Per Ironiam. Pro Roſc. Amer. *Cur igitur manu miſit? metuebat ſcilicet, &c.* 27. Per Correctionem. *Sed quid hæc ditius diſputo, cùm hæc luce clariora videantur. Itaq; ad aliud progredior.* 28. Sunt quædam particulæ Tranſitionibus aptæ, ut: *Jamverò, Quid? quòd, Etenim, Atenim, Equidem,* & ſimiles. 29. Præterea, quod ſupra c. 10. docui, alia occaſione, tot ſunt modi tranſeundi, quot ſunt celebriores Figuræ ſententiarum. 30. Sed omnium præſtantiſſima Tranſitio eſt, quæ non ex aliorum exemplis quæritur, ſed in ſua cuique materia naſcitur; quando ſcilicet adjuvante ingenio, cui plus hac in re tribuendum, præcedentia occaſionem præbent, ſequentia connectendi, & partes orationis ita artificiosè committuntur, ut commiſſuræ vix appareant, ſed prior pars poſteriorem quaſi neceſſariò poſt ſe trahere videatur. Si quis tamen plures adhuc modos deſiderat, reſiduos 35. Palat; Eloq. l. c. punct. 5. & alios reliqui ſuprà nominati ſubminiſtrabunt: omnes deſcribere propoſita parvitas hujus libelli non permittebat.

CA-

CAPUT XIII.

De Amplificatione verborum in ſpecie, & imprimis de ipſius natura, verbiſq; ad eam idoneis.

In quo conſiſtat amplificatio verbor.

1. IN quo conſiſtit Amplificatio verborum, quam c. 9. n. 2. definivi? Reſp. Ornatus dilatationis, de quo ibi dicitur, conſiſtit tum in verbis ipſis, ſecundum ſe ſpectatis, tum in Figuris celebrioribus, quæ poſſunt adhiberi.

Verba ad eam idonea.

11. Quæ verba dilatationem ornant? Reſp. Itidem fusè hanc rem pertractat Palat. Eloq. Exercit. 4. lect. 5. cujus præcipua capita hîc tangam, ne quid deſideretur. Itaq; ornant verba 1. Illuſtria, non tamen ab uſu communi abhorrentia, qualia ſunt gravitate quadam delecta, translata, ſuperlativa, per congeriem verborum & ſententiarum, ferè idem ſignificantium, congeſta, rem, de qua ſermo eſt, imitantia. *Illuſtria* habet Cic. pro Planc. n. 99. *O acerbam mihi memoriam temporis illius ac loci, cùm hic in me incidit, complexus eſt, conſpersítq; lachrimis, nec loqui præ mœrore potuit! ô rem cùm auditu crudelem, tum viſu nefariam, &c.* Translata pro Mil. n. 63. *Quid odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam gloriæ ſuæ?* Superlata. Pro Marcello n. 8. *Domuiſti gentes*

gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes. Per Congeriem. Pro Mil. n 34. *Tu P. Clodii cruentum cadaver ejeciſti domo; tu in publicum ejeciſti; tu ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompis, laudatione, infeliciſſimis lignis ſemiuſtulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti.* Imitantia. Virgil. *Quàm multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.* 2. Epitheta ſplendida. Pro Lege Man. *Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multò jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus viſus eſt.* Sic etiam: *Vir ſingulari virtute, eximiâ prudentiâ, civis optimus, &c.* 3. Verba plus ſignificantia, ut: *Labes civitatis, peſtis Reip. &c.* Cic. in Verrem: *Non enim furem, ſed raptorem; non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionúmq; ; non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem civium, ſociorúmq; in veſtrum Judicium adduximus.* 4. Synonymia, ſeu res eadēpluribus verbis, propè idem ſignificantibus, diverſimodè inculcata. Cic. 2. Catil. *Catilinam furentem audaciâ, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis atq; huic urbi ferrum flammámq; minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem urbe proſecuti ſumus. Abiit, exceſſit, evaſit, erupit.* Dixi modò: *propè idem ſignificantibus*; Puerile enim eſt, penitus idem ſignificantia congerere, v. g. *mare, pontus, æquor.* 5. Verba graviora & conſonantiora. Sic gravius eſt *Clementia*

mentia, quàm *Lenitas*; *latro*, *prædo*, *raptor*, quàm *fur*. *Vulnerare*, *ferire*, quàm *percutere*, *&c.* Consonantiora sunt superlativa quàm absoluta; plurali, quàm singulari numero prolata; Verbalia, quàm absoluta, ut *domina*, *dominatrix*; composita quàm simplicia; longiora quàm brevia. 6. Periphrasis, dicendo pluribus verbis, quod paucis posset efferri. Ut: *Peccâsti:* Dic: *Quânam abreptus es audaciâ, ut immensam Dei Majestatem, fontem ac largitorem bonorum omnium Deum turpissimis flagitiis ad iracundiam irritare, atq; ad ultionem provocare non dubitaveris?* 7. Figuræ illustriores sententiarum, per figuras verborum excultæ, ut per Antitheses, Repetitiones, Conduplicationes, &c. 8. Periodi, ubi illæ congruunt.

Res verbis potiores.

III. In quo consistit dilatatio? Resp. Non in puerili garrulitate, non in synonymorum inani cumulo, non denique in rei alicujus ultra verum exaggeratione, sed in prudenti & artificiosa partium alicujus totius explicatione. Re ipsa enim omnis amplificatio est quædam distributio totius in partes, seu partium primariarum explicatio. Sic in amplificando modò distribuimus Genus in Species, aliàs quædam alia in Adjuncta, Consequentia, Causas, Effecta, &c. tanquam in aliquas partes. Propositio quævis pro partibus habet verba & res, quæ illius objectum sunt, aut illam componunt. Partes argumentationis sunt ipsius propositiones.

Quæ

Quæ partim jam expoſita ſunt c. 3. de Partium Enumeratione, à n. 15. & c. 9. n. 6. partim mox & ulteriùs l. 3. c. 3. cùm de dilatatione propoſitionis in periodo agetur, elucidabuntur.

CAPUT XIV.

De Amplificatione per locos Rhetoricos & Figuras.

1. QUa ratione partes argumentationum dilatantur? Reſp. Quando non agitur de ſola explicatione fuſiore alicujus propoſitionis, ſed de rebus ipſis, ac nominatim de argumentis, hæc dixi initio dilatanda eſſe per Argumentationes; iſtarum verò ſingulas ſucceſſivè partes neceſſarias per modos amplificandi. Itaque fieri hoc poteſt nunc per Locos oratorios Figuris exornatos; aliquando per ſolas Figuras; aliàs per modos alios dilatandi hîc ſubſequentes.

Loci Rhet. aptiores.

11. Quinam Loci Rhetorici ad hoc ſunt aptiores? Reſp. Definitiones conglobatæ, ſeu plures ejuſdem rei deſcriptiones ſimul poſitæ, Cauſæ, Effecta, Antecedentia, Conſequentia, Genus, Forma, Similitudo, Contraria, Comparatio, S. Scriptura, SS. Patres, Hiſtoriæ, Apologi, Parabolæ, Adagia, Eruditio, maximè verò Adjuncta & Enumeratio partium, cum aliis pleriſque. Modum dilatan-

dilatandi per Locos oratorios exemplis declarat Candidatus Rhet. Progymn. 4. de Amplif. sect. 3. ad quem, utpote cuivis obvium, te remitto; neque enim opus arbitror, novis exemplis, per singulos Locos oratorios ductis, hunc librum frustra densiorem reddere.

Figuræ.

III. Quomodo Amplificatio fit per Figuras? Resp. Etiam in hoc te manuducet modò laudatus liber, ex cujus exemplis l. c. sect. 2. c. 2. allatis, facilè disces reliquas figuras, quas ipse præteriit, eodem modo impendere. Quia tamen ibi non docet argumentationes argumentorum dilatare (quamvis ea, quæ affert, etiam his congruant) unicam dilatationem talem exempli causâ mox proponam.

Paradigma.

IV. Quomodo suprà dictum argumentationis exemplum potest dilatari per Locos oratorios & Figuras? Resp. Ad probandam hanc Propositionem: *Qui sæpe relabitur in peccata mort. aliquando inopinatò non surget*; attuli pro primo argumento: *Quò frequentiores sunt lapsus, eò gravius Deus irritatur*, hanc argumentationem: *Cùm Deus quolibet peccato irritetur, tantò magis irritabitur, quantò infidelitas gratiæ exhibita fuit major. Tantò hæc est major, quantò frequentior. Igitur quantò infidelitas Gratiæ exhibita frequentior fuit, tantò magis Deus irritabitur.* Major propositio habet duas partes; *Deus quolibet peccato irritatur.* Et: *Magis irritatur à majore infidelitate*

litate Gratiæ exhibita. Sic jam dilatatur. *Majoris* 1 *pars.* Infinitè adversum nos misericors Deus, non contentus innumerabilibus & maximis donis, quibus nos antehac cumulavit, imensa etiam in futurum nobis destinat; ad ea possidenda suavissimè invitat, quin & aliis beneficiis nolentes illam felicissimam possessionem adire, quodammodo solicitat, & amica hujusmodi vi, propè dixerim, compellit intrare. Hæc beneficia, sive concedentis dignitas, sive indignitas accipientis spectetur, cùm in se omnia sint præstantissima, tamen, quod inter illa præcipuum à nobis æstimari meretur, illud est, quòd fragilitatis nostræ misertus ita promittat, ut securos de accipiendo reddat, ita invitet ac urgeat, ut necessaria ad propositum bonum obtinendum media quàm largissimè suppeditet, gratias videlicet innumeras, quibus simul incitemur, simul adjuvemur. Pro ista munificentia quid vicissim à nobis exigit? quid exspectat? Ut difficillimarum quarumcunque virtutum exercitio gratum summo benefactori animum exhibeamus? Non tantum expetit: quamvis, si majora etiam postularet, nihil beneficiorum meritis majus nobis imponeret. An ut ab omni rerum terrenarum amore abstracti animum ipsi soli affigamus; corpus, facultates, & bona omnia, ab ipso profecta, in gratitudinis signum imolemus? jam ac-

ceptis

ceptis, & spebus in futurum cæteris spoliandi, si secus fecerimus? Quid etiam hoc æquius & exposceret ipse, & nos tantis muneribus obstrictissimi ultro præstare deberemus? Verùm non hucusque gratitudinis vices benignissimus bonorum Largitor extensas voluit. Audite, quàm facile aliquid desideret. Possétne minus aliquid petere, quàm ne concessis Gratiis in ipsius contumeliam abutamur, ut in mandatorum, in se planè æquorum, & per ipsius auxilia observatu facilium custodiâ nostram ipsi fidelitatem pro nostra suprema felicitate, inde nascitura, demonstremus? Jam si debitorum & Benefactoris immemores, donis in contemptum largientis abutamur; si mandatorum sanctissimorum impudenti transgressione nos infideles exhibeamus; quis dubitet, quin tanta indignitate graviter commoveatur atque irritetur? *Majoris 2. pars.* Atverò si ratione duce ipsimet, qui delinquimus, meritò censemus, indignissimè fieri, ut tantus benefactor vel levi aliqua ingratitudine aut infidelitate offendatur, quid erit, vel nobis arbitris, si gravissimè lædere, si perditè infideles eidem esse non dubitemus? an non graviùs idcirco irritandum judicabimus? *Minor.* Quò majora sunt nomina, quibus alteri obligamur, eò acerbior quævis offensa jure habetur. Læditur profusus benefactor unica etiam infidelita-

te

te, tametsi minimè gravi, si ab ingrato cliente proficiscatur. Graviùs alterâ movetur, eámque vel ideo, quòd sit iterata, fert indigniùs. Quid si infidelitas sæpius recurrat? quid si contemptus centies repetatur? quid si peccantis injuriæ, quemadmodum fieri consuevit, indies majores atque atrociores evadant? Nemo ita cæcus, qui non arbitretur, si leves quidem, sed multiplices, supremæ Majestatis sumíque benefactoris contemptus non vulgarem indignationem promerentur, intolerabilem eidem fore offensam, iram concepturum imẽnsam, si contemptus hujusmodi & plurimi sint, & cum injuriosa Dei offensa singuli conjuncti, & infidelitas, sæpissimè renovata, non circa minima dona & mandata, sed circa pretiosissima neglecta beneficia, & gravissimas leges violatas versetur. Finge terreni Principis servum vilissimum à suo domino citra meritum innumeris favoribus fuisse honoratum, hísque ultrò sæpius oblatis ad fidele servitium provocatum. Si hæc dona repudiet, ea contemptim habeat, iis in dedecus Principis abutatur, quásque in gratitudinis argumentum leges observare jussus erat, temerè transgrediatur, atque infidelis, non semel iterúmque, sed centies deprehendatur: an non Principem tantò acerbiùs sensurum putas, quantò beneficia majora contulit? Nunquid eò vehementiùs adversus

versus ingratum concitabitur, quò crebriùs expertus est infidelem? *Conclusio.* Aut fortè solius Dei Gratiæ obsequium non merentur? Num istarum tantùm neglectus injuriam non efficit? An frequentissimè in ipsius contemptum usurpatæ iram non provocabunt? Tot tantásque infidelitates ac contumelias sapientissimus Deus solus non sentiet? justissimus non irascetur, accendetur, exasperabitur? &c. *Argumentum istud cum sequente hoc vel simili modo connecte:* Quis nisi insanus hoc sibi imaginetur? Quodsi verò ad iracundiam ipsum æquissimo jure concitant, etiam ad pœnas instigabunt. Tum eodem modo sequentis argumenti argumentationem amplifica, ejúsque Assumptioni probationem adde, sicut in hoc priore intextam aliquam notabis.

CAPUT XV.

De Thesi, Hypothesi, & Loco communi.

1. QUis est modus amplificandi per *Thesin & Hypothesin*? Resp. Suppositis hîc illis, quæ de utraque suprà dicta sunt, facilis & copiosus est modus dilatandi, si Hypothesin aliquam, seu propositionem particularem traducamus ad Thesin, seu propositionem

Thesis & Hypothesis.

tionem universalem, & postquam de genere fusiùs diximus, rursus redeamus ad Hypothesin, eámque breviter dilatemus cum respectu ad dicta in Amplificatione Thesis. V. G. Sermo est de virtute, vitio, arte, aut alia quacunque re particulari. Transferatur sermo ad virtutem, vitium, artem, &c. in genere. Postmodum, quæ de genere dicta sunt, applicentur huic rei singulari, de qua agitur. Candidatus Rhet. Progymn. 5. sequentem propositionem hoc modo dilatat, cujus synopsin refero: *Gratior est puerorum institutio, quàm adolescentium.* Istam Hypothesin dilatat per sequentem Thesin: *Omnia dum adhuc parva sunt, oblectant; quando majora evaserunt, vilescunt.* Hanc Thesin probat inductâ Enumeratione quorundam animalium: tum verò, quæ pro Thesi attulit, suæ Hypothesi applicat. Similiter hujus propositionis: *Curandum adolescentibus, ut excellant in arte oratoria.* Thesis erit: *In quavis arte excellentes maximi semper æstimabantur.* Probari potest per enumerationem variorum, qui in aliis artibus vel scientiis excellentes honorati sunt. Ut: De Homero post mortem tres civitates disceptârunt, cujus earum tantus Poëta civis fuerit, cùm quævis ex eo sibi ornamentum ambiverit. Epicteti lampas fictilis post ejus obitum ingenti pretio empta est, quòd ad eam nocturnis lucubrationibus suos libros scripserit. In obsidione Syracusarum man-

mandatum est militi, ut urbe potitus parceret Archimedi celebri Mathematico, &c. Tum denuo ad Artem oratoriam revertendo dicatur, quantò major ex hac arte gloria sit speranda, cùm ea sola animis dominetur.

II. Videntur esse inanis garrulitas, quæ ita de genere producuntur. Resp. Nullo modo. Quæ de genere aut toto dicuntur, affirmantur etiam de specie aut parte sub eo contenta. Accedit, quòd sicut genus latiùs per se patet, quàm species, latiorem quoq; amplificationi campum aperiat. Denique oratio, quæ latiùs patet, ornatior est, & gratior auditori. Verum nihilominus est, non commorandum diutiùs in explicanda thesi, sed redeundum ad hypothesin, cujus solius expositio utilis est auditori, ne hic tamdiu in contemplandis exterioribus domûs detineatur, donec otium non supersit ejus pretiosiora penetralia introspiciendi. Hanc tractationem particularium ait Granat. L. 2. Rhet. c. 12. esse totius concionis scopum, ad quem omnia referenda sunt, & hanc ad mores applicationem non solùm peracta argumentatione faciendam, sed quoties occasio se obtulerit.

III. Quid est *Locus communis*? Resp. Est oratio laudes aut vituperium alicujus exaggerans. Per vocem *Oratio* hîc non intelligitur integra oratio, sed tantùm ejus pars. Di-

Locus communis.

citur iſte modus amplificandi Locus *communis*, quòd habeat fontes quoſdam communes, qui in omni laude vel vituperio poſſunt habere locum.

IV. Quas partes habet? Reſp. Sex, quæ ſex aliis poſſunt expoliri ac terminari. 1. *A Contrario.* Sic ſi de aliqua virtute agatur, dici poteſt, quàm vitium contrarium ſit pernicioſum, indecens, &c. Si de vitio, quàm virtus oppoſita ſit utilis, decora, &c: & ſic in aliis partibus; ſemper rationem habendo ſeu reſpiciendo eum, qui laudatur vel vituperatur. 2. *Ab Expoſitione*, referre licet, non ad docendum (cùm ponatur res ex reliqua oratione jam conſtare) ſed ad exornandum, quid ex tali virtute egerit. 3. *Comparatione* hujus virtutis cum aliis ornamentis ejus, qui laudatur. 4. *A ſententia*, ſeu conſilio, quo hanc virtutem exercuit. 5. *A digreſſione conjecturali*, qualis in aliis virtutibus fuerit, qui in hac ita excelluit. 6. *Ab Affectu*, illo ſcilicet urgendo, quem oratio excitare conatur: v. g. Amore, vel in vitiis Odio, Æmulatione, vel Invidia, &c. His ſex partibus ad ſermonem magis excolendum, & auditores ulteriùs impellendos, addi poſſunt ex ſequentibus aliqui vel omnes. 1. *Legitimum*, nihil divinis & humanis Legibus, nihil exemplis eſſe conformius, 2. *Utile*, 3. *Honeſtum*, 4. *Facile*, 5. *Jucundum*, 6. *Eventurum*, h. e. quid futurum ſit, ſi hoc agatur.

V. Ubi

v. Ubi maximè opportunus est Locus communis ? Resp. In iis laudibus, aut vituperiis, ubi præter unam vel alteram actionem laudandi vix aliquid notum est. V. G. Laudare oportet Martyrem, de quo nihil constat, nisi quòd Romæ passus sit sub Nerone. Paradigma talis amplificationis habet paulò alio modo Candidatus Rhet. Progymn. 6. de seditioso.

CAPUT XVI.

De Chria.

Chria quid.

I. QVid est Chria ? Resp. Est amplificatio facti, vel dicti alicujus, vel facti cum dicto quodam conjuncti, certis partibus comprehensa.

Quotuplex.

II. Quotuplex est Chria ? Resp. Triplex. *Activa*, quæ factum aliquod ; *Verbalis*, quæ sententiam ; *Mixta*, quæ sententiam cum facto aliquo conjunctam excolit & amplificat.

Ejus partes

III. Quot partes habet Chria ? Resp. Octo. 1. Est *Laus* illius, qui aliquid fecit, dixit, vel simul fecit & dixit. 2. *Explicatio* ornata talis facti vel dicti. 3. *Causa* una vel multiplex facti vel dicti. 4. *Contrarium* illi, de quo agitur. 5. *Similitudo* idonea. 6. *Exemplum* unum vel plura, in eadem re, in qua tale dictum aut factum versatur. 7. *Testimonium Veterum*, sive sensus auctorum, seu sacrorum

seu profanorum, circa eandem rem. 8. *Epilogus*, sive brevis conclusio talis amplificationis, ubi nonnunquam, si materia scilicet id ferat, locus esse potest Affectibus.

In eadem observanda.

IV. Quid in Chria observandum? Resp. Ne primæ 2. partes in idem recidant, id est, ne posterior pars in priore jam contineatur. Pro quo vitando præcepta per exempla tradit Candidatus Rhet. Progymn. 3. 2. Singulæ partes ita cohæreant ac connectantur, ut non tantùm una post alteram ponatur, sed ipse orationis contextus sequentem partem necessaria velut serie dictionis post se trahat, vel certè apto quodam nexu posterior ad priorem referatur. Formulas nectendi Chriæ partes tradit modò cit. liber. 3. Per Causam hîc intelligitur una, quæcunque congruat, ex illis, quas explicavi L. 1. c. 3. n. 33. & seq.

Ubi idonea.

V. In quo genere orationum adhiberi potest hic modus amplificandi? Resp. Præcipuè in Exornativo; quamvis etiam aliquæ ipsius partes in Deliberativo possint locum habere. Plures pro amplificatione sumi possunt in orationibus, quæ sine argumentatione fiunt, quàm in aliis, quarum argumenta primò per argumentationes extenduntur.

VI. Si quis hoc modo velit uti, sùntne omnes istæ 8. partes necessariæ? Resp. Neutiquam; sed arbitrarium cuivis est, assume-

re

re illas, quæ magis utiles fore videbuntur. Neque ordo supra positus ita necessarius est, ut non possint partes aliter collocari. Imò varietatis gratiâ, sicut non semper una dilatandi methodus est usurpanda, ita si quis Chriâ sæpius uti vellet, prodesset & in partibus assumendis & in earum ordine vices mutare.

CAPUT XVII.

De Historiis & Eruditionibus

Historiæ.

1. NUm etiam istis usus est in Amplificatione? Resp. Attendendum ad ingenium Auditorum, an ament historias & eruditiones, orationibus immixtas. Sunt regiones & urbes quædam, in quibus historiæ in orationibus, præsertim sacris, non admittuntur. Aliis contrà sine his oratio nimis arida videtur. Rudiori populo utiliter historiæ proferuntur, quia ferè facilius capit, retinet, ac sequitur doctrinas istis confirmatas. Consultissimum erit hac in re locorum consuetudinem & auditorum propensionem discere, séque illi conformare. Cæterùm utilitas historiarum inde maximè elucet, quòd ad eas audiendas humana curiositas suapte natura ducatur, dum interim licet oratori per eas, velut vivam morum picturam, liberiùs instillare quasdam veritates,

&

& in aliis laudare vel carpere, quod in se argui auditor minùs æquo animo ferret. In aliorum exemplis suos mores spectabit, tangetur occultè, timebit similem ruinam, sperabit veniam, séque perculsum sentiet, dum soli voluptati auditûs indulgere cogitabat.

Quales in oratione.

11. Cujusmodi debent esse Historiæ, quæ in orationem introducuntur? Resp. 1. Probatissimæ ab auctoritate, & quæ veritatis speciem per se referant; indecens enim est veritatem falsis aut dubiis velle confirmare. Ut jam non dicam, quantùm dubia aut incredibilia sacri oratoris existimationi derogent. 2. Paucæ sint in eadem concione. 3. Appositissimè conveniant argumento confirmando. 4. In iis recensendis observentur quatuor virtutes narrationis infra tradendæ, videlicet: Brevitas, Perspicuitas, Probabilitas, & Suavitas. 5. Una res non nisi semel narretur. 6. Si historia plures partes & eventus habet, omissis reliquis id solum afferatur, quod facit ad propositi confirmationem. 7. Etiam illi, qui aliàs ab historiis abhorrent, libenter audiunt ex S. Scriptura depromptas, si breviter allegentur, cùm ferè pleræque notæ sint, & si argumento bene concordent. 8. Fabularum moralium narratio rara sit, nec nisi in loco, aut coram auditoribus, ubi illæ non ingratæ sunt. 9. Parùm gratum est promittere, nos dicta per aliquam historiam, in fine proponendam, con-

confirmaturos. 10. Prosopopæiæ quoque in iis occurrentes sint breves, & plenæ sententiis.

III. Quid Eruditionis nomine venit? Eruditiones.
Resp. Ea omnia, quæ nec historiæ sunt, nec doctrinæ, sed doctrinis vel inferendis, vel confirmandis, vel exornandis occasionem præbent. Huc igitur spectant Symbola, Emblemata, Lemmata, Hieroglyphica, Ænigmata; Dicta ingeniosa, arguta, festiva; Apologi; miranda naturæ & artis, cujusmodi sunt proprietates fluminum, regionum, montium, metallorum, plantarum, gemmarum, animalium, astrorum, & mille hujusmodi alia, quibus clarissimos Oratores, ipsum etiam Ciceronem, cum laude atque elegantia, usos fuisse videmus. Pleni sunt plurimi libri talibus Eruditionibus, ex quibus meliores adnotâsse, & quem usum, aut qua occasione habere possint, prævidisse atque adscripsisse profuerit, præsertim cogitationes ingeniosiores.

IV. Quid denique circa Amplificationem animadvertendum? Resp. Plures alii modi ab aliis traduntur, speciatim à P. Schvvertfer in libello de hoc argumento edito. Sed isti possunt sufficere consideranti, & in libris versato. Qui noverit Totum in partes distribuere, & cuivis parti pro-

propria explicare, habebit præcipuum hac in re negotium confectum. Si quis plura exempla desiderat, consulat tum alios, tum P. Nic. Caussini Eloquentiam sacr. & hum. qui ad finem L. 5. ordine Alphabet. varias elegantiores Ciceronis amplificationes indicat. Ego verò mihi alium adhuc fontem dilatationis uberrimum, L. 6. c. 2. & 3. aperiendum, reservo, ubi de Majore & Minore bono tractabitur.

LIBER II.

De secunda parte Eloquentiæ, seu de Dispositione.

CAPUT I.

De iis, quæ generatim ad Dispositionem pertinent.

1. DE qua Dispositione hîc agitur? Resp. De artificioso partium orationis ordine. Ratio ipsa docet homines loqui cum aliquo ordine, qui similis est aliquo modo illi, quem ars oratoria tradit. Nam negotium quodpiam propositurus patrono, orditur sermonem per quendam ingressum, quo se insinuat. Tum suum negotium proponit, &, si res postulet, narrat, in quo istud versetur. Deinceps causas suæ sententiæ profert. Demum urget patronum, quem elegit, ut in hoc negotio sibi patrocinetur. Quomodo jam ars hunc naturalem loquendi modum melius ordinet, videndum.

Primariæ partes orationis.

11. In quas partes, & quonam ordine communiter distribuitur oratio? Resp. Qui Propositionem, Partitionem, & Confutationem

tionem nolunt agnoscere pro partibus specialibus, sed putant, priores duas ad Exordium & Narrationem, tertiam verò ad Confirmationem spectare, quatuor partes assignant. Alii septem partes hoc ordine statuunt: Exordium, Propositio, Narratio, Partitio, Confirmatio, Confutatio, Epilogus.

Quæ ex his necessariæ.

III. Quænam ex his partibus in qualibet oratione sunt necessariæ? Resp. Confirmatio & Epilogus, cùm prior contineat argumenta, motui Intellectûs servientia; altera verò argumenta minora pro ulteriore motu voluntatis. Exordium in plerisq; orationibus adhibetur. Omitti autem potest, quando ejus finis cessat, sive quando non opus est auditores facere benevolos, attentos, vel dociles. Similiter quando eadem prorsus res in pluribus orationibus continuaretur, frustranea in sequentibus esset Propositio. Quando Narratio & Confutatio addatur, suo loco dicetur. Ex istis partibus Exordium & Epilogus faciunt ad motum voluntatis, illud quidem ad leniorem, hic ad vehementiorem. Narratio, Confirmatio, Confutatio ad efficiendam fidem, seu commovendum Intellectum. Propositio & Partitio conducunt ad docilitatem, & clariorem totius orationis cognitionem.

Quo loco ponendæ.

IV. Quo loco singulæ ponuntur? Resp. Exordium in principio. Plerumque circa ejus

jus finem Propositio. Tum, aut in fine Narrationis, Partitio, siqua fiat. Dein Confirmatio. Confutatio hac finitâ; quamvis interdum brevis aliqua possit argumento cuicunque subdi. Ultimo denique locò collocatur Epilogus.

v. Ubi Affectus reponendi? Resp. Proprius ipsorum locus est ordinariè Epilogus. Sed docet Quintil. L. 6. c. 2. ipsos locum habere in tota oratione, idque confirmat exemplum Ciceronis, qui in eos assurgit non rarò post potentiora argumenta, post Narrationem, post Confutationem. Affectus.

vi. Quæ collocatio argumentis convenit? Resp. Initio statuatur aliquod firmum, ne auditor, tunc maximè attentus, despondeat animum, si levis tantùm aliqua ratio Propositionis prodeat, existimans, nihil magnopere dignum attentione secuturum. In fine ponatur fortissimum, eò quòd sit ultimum, ideóque firmiùs inhæreat animo auditoris, mox discessuri, simúlque meliùs disponat ad Affectus voluntatis, postea eliciendos. Si plura supersint leviora, coniiciantur in medium, sicut in acie levis armaturæ milites. Neque tamen ista, quòd minoris ponderis sint, negligantur: vim habent cum cæteris; & quò plures rationes afferuntur, eò sententia firmior apparet. Cic. L. 2. de Orat. & L. 3. ad Heren. n. 21. *In Confirmatione & Confutatione argumentationum* Argumentorum ordo.

dispo-

dispositiones hujusmodi convenit habere: firmissimas argumentationes in primis & postremis causæ partibus collocare: mediocres & neq; inutiles ad dicendum, neq; necessarias ad probandum, quæ si separatim ac singulæ dicantur, infirmæ sunt, cum cæteris conjunctæ firmæ & probabiles fiunt, interponi & in medio collocari oportet. Nam, &c. Quodsi oratio duobus tantùm argumentis nitatur, potentius priore loco affertur, idémque post debilius allatum denuo in mentem auditoribus revocatur. Quænam verò ex argumentis & quam vim habeant, prudens Orator ex seipso facilè discet, si perpendat, quantum in ipso effectura essent, si ab alio proposita audiret? quid oppositurus esset? &c. Cic. L. 2. de Orat. n. 295. *Cùm colligo argumenta, non tam ea numerare soleo, quàm expendere.* Sed illa dos est argumentorum primaria, ut, cùm inveniantur ad confirmandam propositionem, hanc ita stabiliant, ut ad ipsam ceu scopum necessariò & unicè tendant; omittantur verò, si ad hunc finem nihil aut parùm conferant. Quod ipsum eodem modo de partibus Divisionis monendum venit, déque harum rursus argumentis & argumentationibus. Qua doctrinâ non excluduntur raræ aliquæ digressiones, modò in his Orator Propositionis non oblivisçatur, sed ad eam mox rectà redeat. Veruntamen oppositi vitii fuga in vitium ducit, si caret arte. Nonnulli soliciti, ne à

Pro-

Propoſitione ſuis argumentis deflectant, tortâ, ſterili & incultâ violentiâ ſe tenent ita intra lineam, ut nihil ferme audeant permittere culturæ ſermonis, ex metu, ne fortè liberior ornatus parùm faciat ad propoſitum, etiamſi brevis ſit.

VII. De qua Diſpoſitione compoſiturus orationem primo loco ſolicitus eſſe debet? Reſp. Ut ſingulas ſeorſim partes, & partium iſtarum dilatationem, apud ſe excogitet, prævideat, & diſpoſitas annotet. Ineptum enim eſt, quo multi fruſtra ſe torquent, ſimul omnia velle facere, quærere ſcilicet materiam, diſponere partes, & addere Elocutionem. Hi currunt, antequam viam ſciant; & terminum habeant ſibi præfixum: unde plerumque aberrant à ſcopo, aut nimiùm fatigantur. Itaque prudens Orator, priuſquam componere incipiat, rudem aliquam Ideam totius orationis, & quod ſingulæ illius partes exigent, ſaltem quoad primaria capita, concipere, ſibíque ſeorſim conſcribere non gravetur. Ac tunc primùm de amplificandis & exornandis partibus cogitet; nam ut rectè ſenſit Horat. de Arte Poët.

Verbáq; proviſam rem non invita ſequentur.

Videbitur hæc cura duplicare laborem; ſed contrà accidit, cùm reddatur duplò facilior, orationes ſolidiores, magìs perſpicuæ, atque ad captum auditorum accommodatæ. Modum tales Ideas initio concipiendi Libro

Idea orationis ante ejus compoſitionem formanda.

ul-

ultimo præmittam singulis paradigmatis orationum.

CAPUT II.

De Exordio.

Quid sit Exordium.

I. QVid est Exordium? Resp. Cic. L. 1. de Invent. n. 26. ***Est oratio animum auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem.*** Sive: Est orationis ingressus, quo auditoris animus disponitur, ut cognoscat, de qua re simus dicturi, & benevolè velit attendere reliquis. Hæc prima pars magni est momenti; ab ea enim ferè pendet successus cæterarum. Motum animorum non speret, qui eos ab initio sibi non devinxerit.

Quotuplex.

II. Quotuplex est Exordium? Resp. Duplex. 1. ***Legitimum***, quod tria, mox dicenda, præstat. 2. ***Ex abrupto factum***, quo scilicet orator sine prævia dispositione auditoris statim rem ipsam videtur aggredi per vehementiorem aliquem Affectum, expostulationem, significationem doloris, cõmiserationis, lætitiæ, &c. per deprecationem, exclamationem, &c; ut facit Cic. 1. Catilin. *Quousq; tandem abutêre, Catilina, patientiâ nostrâ?*

III. Qualem debet orator facere auditorem in Exordio legitimo? Resp. Reddere debet benevolum, attentum, & docilem.

Quomodo reddat benevolum,

IV. Quomodo fit ***benevolus***? Resp. Non, ut aliqui putant, ac facere solent, benevolum audi-

auditum petendo, sed arte sibi benevolentiã conciliando. Quod fit, cùm vel appositè ad rem præsentem modestéque laudatur persona auditoris; ut si moturus ad aliquam virtutem in eo cõmendet virtutis studium. Vel à persona propria oratoris, dum nunc suum studium quærendi auditoris bonum ac commodum, merita, benevolentiam, amorem cõmemorat; nunc reverentiam & observantiam erga eundem officiosè præsefert; nunc brevitatem promittit; aliàs se deprimit, moderatè tamen, & prudenter, ne per hoc ipsum suæ existimationi præjudicet. Vel in Genere Judiciali à persona clientis, ipsius inopiam, toleratas injurias, virtutem, dignitatem depressam, calamitatem monstrando; aut contrà Rei accusandi mores scelestos, indignitatem, odium publicum, &c. Vel denique à persona adversarii, cui odium & invidiam, manifestatis ipsius vitiis, vilitate, malis artibus, &c. comparamus, sicut Cicer. in Vatinium.

v. Quomodo redditur *attentus*? Resp. Excitando in ipso opinionem, ejusmodi esse orationis argumentum, quod dignum sit attentione. Itaque ostendat, rem tractandam esse magni momenti, ut Cic. pro Lege Man. Vel apud vulgus, utilitate ferè trahi solitum, esse utilem; apud ingenuos, illam esse decentem, glorioſam, magnorum exemplis tritam; apud timidos, ejus neglectum esse Attentum.

esse periculosum ; apud segnes & ignavos, esse facilem , & sic de aliis : semper enim præter dignitatem rei afferendum aliquid conforme auditoris propensioni. Judico tamen , nullo medio faciliùs excitandam attentionem , quàm si Propositio simul perspicua sit , simul nova & admirabilis in argumento aliàs attentione digno. Nihil tamen prohibet aliquando attentionem petere tum in Exordio , tum in cursu orationis, quando scilicet res majoris momenti occurrit. Sic Cic. Phil. 7. post factam partitionem addit: *Peto à vobis P. C. ut eâdem benignitate , qua soletis , verba mea audiatis.*

Docilem,

VI. Quomodo efficitur *docilis* ? Resp. Dilucidè proponendo , de qua re simus locuturi in oratione , h. e. claram Propositionem faciendo. Fit hoc , vel simpliciter , illam non distribuendo in partes , vel illam partibus certis distinguendo. Utroque modo utitur Cicero. Divisione tum alibi , tum pro Cluentio : *Animadvertitis , Judices , omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes.* Et post pauca : *Itaq; mihi certum est hanc eandem distributionem invidiæ & criminum sic in defensione servare , ut, &c.* Sed de Divisione ex instituto c. 5. hujus libri tractabitur.

Quando hæc tria curanda.

VII. Debéntne in singulis Exordiis hæc tria curari? Resp. Nequaquam : si enim auditor aliunde jam favet dicenti , aut avidus esse noscitur , aut scit , de qua re sit acturus ora-

orator, utì fit in orationibus de eadem re continuatis, non utique neceſſe eſt, ut id ſibi velit procurare, quod jam habet. Utrum autem hæc jam obtinuerit, prudenter judicet. Cæterùm quamvìs ſibi per præcedentes conciones benevolentiam auditorum jam devinxerit, aut attentos eſſe conſueviſſe ſciat, non ſequitur, Exordium non eſſe neceſſarium. Debet attentio & benevolentia renovari & augeri; fieríque poteſt, ut ipſum argumentum habendæ orationis hanc curam ſpecialiter pro ſe deſideret. Deinde utì rariſſimè orationes plures ejuſdem omnino argumenti inſtituuntur, ita rariſſimè continget, ut non ſit neceſſarius ingreſſus ad Propoſitionem ſaltem orationis inſinuandam.

VIII. Quæ ſunt virtutes Exordii? Reſp. Primarias Cic. L. 2. de Oratore n. 315. his verbis complectitur: *Principia dicendi ſemper cùm accurata, & acuta, & inſtructa ſententiis, aptæ verbis, tum verò cauſarum propria eſſe debent.* Adeóque 1. ſint accuratè facta. Nam ut ibidem ſubjungit: *Prima eſt enim quaſi cognitio & commendatio orationis in principio, quæ continuò eum, qui audit, permulcere atq; allicere debet.* 2. Sint acuta in dictione & ſenſu, non tamen nimia in conſectandis acuminibus ingenii, argutiis, & conceptibus, ut vocant; nec juveniliter audacia. Cic. Orat. n. 313. *Vitanda eſt ingenii oſtentationiſq; ſuſpicio.* Item de Invent. n. 23. *Suſpicio apparitionis atq; artificioſæ diligentiæ orationi* Exordii virtutes,

fidem, oratori authoritatem adimit. Non rarò auditor, ubi advertit, verba nimis exquisito artificio componi, animum obfirmat ad non credendum. 3. Instructa sententiis. Est autem sententia enuntiatio, seu affirmatio vel negatio, universalis de universali, & à potiori de bono eligendo vel malo vitando. Ut: *Qui non vetat peccare, cùm possit, jubet.* Seneca. *Nemo læditur nisi à seipso.* S. Chrysost. *Majorum gloria posteris quasi lumen est; neq; bona eorum, neq; mala in occulto patitur.* Sallustius. Per sententias hîc potissimùm intelliguntur Periodi, Figuræ, præsertim sententiarum, aliáque orationis ornamenta. Cic. de Invent. *Exordium gravitatis & sententiarum multum habere debet, quod oratorem auditori maximè commendat.* 4. Argumento huic soli propria; quod obtinebitur, si ducantur ex visceribus causæ, sive ex ipsa materia, quæ tractatur. Non quòd argumenta ipsa sint in Exordio jam apertè ponenda, sed quòd ad eadem per ipsam Exordii structuram sit via sternenda, & aliqua illorum semina jam tum ita jacienda, ut Propositio ex dictis velut necessitate quadam descendat. Hinc monet Tullius l. c. non esse priùs cogitandum de Exordio, nisi post excogitatas primarias partes orationis; ut adeò, licèt orationis scriptio ab Exordio inchoëtur, in illius tamen excogitatione hoc sit postremum. Hæc difficultas qualiscunque magna parte erit expedita,

si

si fiat aliqua argumentatio principalis,& ex aliqua hujus parte Exordium, ut superiùs docui. 5. Exordium non tantùm sit initium orationis, sed ita instituatur, ut cum sequentibus partibus sit connexum. Quare Propositio non tantùm in eodem sit, sed ob constitutionem dictorum non possit hæc certa abesse, non possit alia sequi. Confirmatio non solùm subsequatur, sed ab ipsâ Exordii conformatione hæc ita trahatur, ut aliud quid aptè non possit subjungi. Cic. L. 1. de Orat. n. 325. *Connexum ita sit principium consequenti orationi, ut non tanquam citharædi proœmium affixum aliquid, sed cohærens cum toto corpore membrum videatur.* 6. Neque sit nimis breve, neque nimis longum. Quàm ergo longum debet esse? Prudentiæ oratoris hoc relinquitur. Exordium est caput orationis, & in eam velut aditus. Habeat igitur cum reliquis partibus eam proportionem, qualem caput cum corpore, ostium cum domo. 7. Perspicuum sit, ut auditor videat, quò velit orator evadere, imò de ipsius proposito dubitare non possit: alioquin haud dubiè non attendet, & tædium initio conceptum etiam in reliquis obstabit.

IX. Quæ sunt vitia Exordii? Resp. Vitiosum est Exordium 1. Si sit *Vulgare*, quod potest, ferè nihil addendo vel demendo, in plures causas seu orationes accomodari. 2. *Commune*, quod nulla re mutata potest etiam & vitia.

in quæstione, huic, quæ instituitur, contrariâ adhiberi. 3. *Commutabile*, quod paucis mutatis contrariæ parti æquè convenit. 4. *Nimis longum aut breve:* quamvis præstet peccare in brevitate, quàm in prolixitate, quæ terret auditorem, si judicet, reliquas partes huic primæ fore proportionatas; alienat verò à dicente tanquam artis ignaro, si monstrosam difformitatem primæ partis à sequentibus observet. 5. *Separatum*, quod non petitur ex visceribus causæ, sed ita initio ponitur, ut reliquis partibus non cohæreat. 6. *Translatum*, quod aliud conficit, quàm Genus Causæ postulat, vel auditorem offendit, vel ad alium Affectum disponit, quàm qualem oratio debet habere præfixum. 7. *Irregulare*, quod est contra præcepta, h. e. quod auditorem nec facit benevolum, nec attentum, nec docilem; quod nec acutum, nec sententiis, nec verbis instructum, vel obscurum est. 8. *Obscurum*, ex quo scilicet toto non assequitur auditor, de qua re velit agere Orator, cùm tamen hoc jam in Exordio debeat maximè patere. Impingunt in hoc vitium illi, qui nesciunt, quem in finem hoc proœmium dirigatur; aut qui soliciti de oblectandis auribus, ejus obliviscuntur, quod maximè necessarium est; aut qui amant auditoribus divinandum relinquere, quid sint tractaturi; quo id assequuntur, ut in tota oratione non intelligantur. 9. *Affectatio*

nimia

nimia verborum & sententiarum elegantium, quibus distrahitur auditor, ne ad rem attendat, & tædio afficitur in sequentibus, si minùs delicata afferantur. 10. *Nimis longè petitum.* Quidam pro ingressu orationis supponunt principia tam sublimia, aut tot subtiles cogitationes sibi mutuò innectunt, ac nescio quæ fundamenta ponunt, ut auditor statim desperet, vel eorum connexionem, & unius ex altero sequelam comprehendere, vel secutura, quæ credit præmissis fore similia, satis divinare. Propter hos & similes defectus vitandos multi præclari Oratores reservant sibi Exordium componendum usque ad finem, ut in eo, tanquam apertissima idea, jam initia quædam secuturorum sine ambiguitate repræsentent, & viam sibi sternant ad facilem captum cæterorum. Ita de se fatetur Cic. L. 2. de Orat. n. 314. *Quod primò dicendum est, postremò soleo cogitare, quo utar Exordio; nam si primò id evincere volui, nullum nisi exile, nugatorium, aut vulgare occurrit.* Idem 1. Rhet. ad Heren. paucis modò dicta de vitiis Exordii complectitur: *Vitiosum Exordium est, quod in plures causas potest accommodari, quod nimiùm apparatis verbis compositum est, quod nimis longum, quod non ex ipsa causa natum videatur.*

CA-

CAPUT III.

De variis modis Exordiorum.

Quomodo mutandum Exordium.

1. PRo cujus argumenti diversitate variatur Exordium? Resp. Sæpe utendum insinuatione, id est, artificioso ac callido se latenter in animos auditorum insinuandi modo, & per istum 1. Si argumentum est *Incredibile*, adhibenda est præmunitio, qua incredibilitatis opinio ratione, exemplis, testimoniis tollatur aut minuatur. Vel dici potest, quas ob causas meritò incredibile videatur; pugnaturas tamen ex opposito rationes tam firmas, quæ falsi opinionem sint amoturæ. 2. Si *Humile* sit, promittat nova & majora, quàm quæ argumentum præsefert, ad conciliandam attentionem. Sed quod promittit, speret & curet postea præstare. 3. Si *Dubium*, præter captationem benevolentiæ securitatem & fiduciam ostendat. 4. Si *Obscurum*, docilitati studeat, claritate, divisione, definitione. 5. Si *Ingratum*, benevolentiam priùs captet à persona auditorum, antequam rem ita ingratam proferat. 6. Si *Longum*, tum initio promittat brevitatem, quam res patietur, tum in decursu interdum jactet, se aliqua omittere, contrahere, obiter tangere. Inspergat sales, breves apologos, aut historias. 7. Si *auditor occupatus* jam est contraria opinione, eam ante

te Confirmationem ipsi nitatur rationibus eximere, proponendo initio, quæ causæ potuissent ipsum à dicendo abstterrere. Ita Cic. Divinat. in Verrem, & pro Sext. Rosc. Amer. tum rationem adducendo, cur nihilominus dicendi munus susceperit. 8. *Si quid reprehendendum*, excuset se officii obligatione, mali gravitate, conscientia impellente. Moderationi studeat; reprehendendos in aliis rebus laudet; abstrahat ab Adjunctis, ut Rei putent, parci suæ famæ, nec constare aliis, quos ea res tangat. 9. *Si Turpe* argumentum, excusetur, vel tegatur, vel per præteritionem leviter tantùm memoretur. In quibus omnibus magnâ utique prudentiâ opus est.

Unde petatur ejus materia.

11. Undenam materia ipsa Exordii desumitur? Resp. Quæstio hæc procedit potissimùm tantùm de orationibus, quæ non fiunt per argumentationem aliquam fundamentalem, de qua suprà c. 9. in illis enim, quæ talem habent, materiam Exordii jam ibidem indicavi. Quæ si cui nondum fortè satisfaciunt, pro utroque genere orationum fontes aliquos Exordiorum aperio. Itaque 1. In propositionibus metaphoricis Generis Exornativi fieri potest ingressus per explicationem proprietatum illius rei, unde Metaphora ducitur. Ut si comparetur S. Franc. Xaverius *motui perpetuo*, explicari potest, quid sit motus perpetuus, quid circa hunc

scholæ

ſcholæ diſceptent, ac demum dici, talem inventum eſſe in S. Xaverio. 2. In majoribus ſolemnitatibus, ubi auditores jam ſunt diſpoſiti ad aliquem Affectum, putà ad gaudium, v. g. in Nativitate Domini, Paſchate, Pentecoſte, vel Triſtitiæ in Paraſceve, funeribus, &c. Exordium poteſt incipere à demonſtratione ſimilis Affectûs. 3. Si Propoſitio verſetur circa aliquid particulare, v. g. circa actum alicujus virtutis, ut circa auxilium Defunctis præſtandum, Exordium nonnunquam ſumetur de illa virtute in ſpecie, ſcilicet de Miſericordia; aliàs de genere ſeu Theſi ex principiis c. 15. n. 1. datis. 4. Interdum petitur ab Adjunctis orationis, nimirum à perſona, quæ hac occaſione dicit; à loco & auditoribus, quibus dicit; ab occaſione habendi concionem; à tempore; à materia, &c. Neque erit hoc Exordium *Commune*, quia hæc Adjuncta, utì pono, connexa ſunt cum ipſa re, de qua agitur, & eidem ita propria, ut hoc modo non congruant alteri materiæ. Exemplum, à perſona oratoris & auditoris ſumptum, habetur in Panegyrico Plinii, Cic. pro Lege Manil. pro Marcello, & aliàs ſæpius. 5. Quandoque à ſimilitudine, exemplo, apologo, eruditione, materiæ conveniente, licet ordiri. 6. Si orator cenſeat, ſiniſtram contra ſe opinionem auditoribus inhærere ob cauſam dicendi, illam principio evellere conetur. 7.

In

In Genere Demonstrativo aliquando congestis in Exordio pluribus ornamentis, laudationi aptis, dicere potest, quòd, licèt hæc illustria sint, & commemoratione digna, se tamen unam hanc virtutem, v. g. Fortitudinem, laudandam sumere. Aut asserat, tantam esse copiam laude dignorum facinorum, ut angustiis temporis constrictus adigatur orationem duobus capitibus definire. Qua divisione non obstante, quomodo nihilominus in decursu orationis alia quoq; decora possint inferi, propter connexionem, quam habent cum his 2. capitibus, dixi L. 1. c. 5. n.7.& infra melius adhuc explicabitur. 8. Licet etiam auspicari à quæstione, velut cum dubio, &,ut vocant, problematicè proposita. Sic Cic.de Invent. *Sæpe & multùm hoc mecum cogitavi, boníne an mali plus attulerit hominibus & civitatibus copia dicendi, ac summum eloquentiæ studium.* Deinde rationibus, pro una & altera parte allatis, unam eligit, & firmioribus causis confirmat. 9. A Contrario, quando orator primò simulat, se esse oppositæ opinionis, rationibus etiam adductis, ob quas ea videatur amplectenda; postea tamen alteram contrariam sententiam eligens solidiora pro eadem argumenta afferre promittit. Idque ingeniosè fit, ubi auditores ipsi contrariũ sentiunt. 10. Alii ordiuntur à brevi historia; alii à celebri cujusdam dicto; alii à dubitatione, hypotyposi, aliisque

aliisque figuris ; alii Affectum aliquem præseferunt. Plures modos vide in Palat. Eloq. Exercit. 5. Lect. 3. à punct. 10. Alia ego Libro 6. proponam.

Argumentatio Exordii.

111. Estne argumentatio etiam in Exordiis usitata ? Resp. affirmativè. Sic si argumentum orationis esset : *Qui defunctis auxiliatur, maximam misericordiam à Deo consequetur*, & Exordium juxta modum 3. num. præced. efformaretur ex Thesi, sic posset formari argumentatio, breviter dilatanda : *Cùm omnibus misericordibus Christus beatitatem & misericordiam vicissim obtinendam promiserit, qui maximam misericordiam eâ dignissimis exhibuerit, maximam vicissim consequetur. Maxima est, quæ defunctis exhibetur, & hi sunt illâ dignissimi. Igitur qui misericordiam defunctis exhibuerit, maximam vicissim à Deo consequetur.* Vel sic : *Omnibus misericordibus Christus beatitatem & misericordiam mutuam promisit. Ergo maximam consequetur, qui defunctis opitulabitur, quia hæc maxima est.* Sequetur deinde Divisio in Assumptione præmissi Syllogismi indicata. Antecedens facti Enthymematis posset enumeratione ex Scripturis amplificari.

Leniores in eo affectus.

1v. Súntne etiam Affectus & Motus in Exordiis ? Resp. Sunt, sed leniores, quàm in sequentibus. Cicero in Exordiis utì semina sequentium argumentorum, ita lenes istiusmodi Affectus, & initia vehementiorum, quos in reliqua oratione prosequitur, reponit.

nit. Nominatim quàm bellè pro Sex. Rosc. Am. conciliat odium accusatoribus, comiserationem accusato n. 13. *Accusant ii, qui in fortunas hujus invaserunt; causam dicit is, cui praeter calamitatem nihil reliquerunt, &c.*

CAPUT IV.

De Propositione totius orationis.

I. QVid est Propositio totius orationis? Resp. Est brevis ac dilucida expositio statûs quæstionis, sive argumenti totius orationis. Quid sit Propositio.

II. Quando & quo loco in oratione ponitur? Resp. Semper ponitur, nisi ex præcedentibus satìs constaret, de quo sit agendum, quod rarissimè contingit. Locus autem ipsius ordinarius est circa finem Exordii. In Genere Judiciali aliquando in fine Narrationis collocatur. Interdum sparsim in toto Exordio alio & alio modo, perspicuè tamen, inculcatur. Ubi ponenda.

III. Quæ præcepta circa ipsam sunt observanda? Resp. Præter dicta L. 1. c. 1. n. 2. & c. 9. n. 6. L. 2. c. 2. n. 8. quòd scilicet deberet esse hypothesis, practica, non tantùm posita post aliqua præmissa, sed ex iisdem necessariò consequens, sequentia sunt notanda. 1. Tam *Perspicua* sit, ut non modò ab omnibus, quorum interest, comprehen- Ejus Leges.

datur,

datur, sed ut non possit non intelligi. *Debet prædicator inspicere, ne plus prædicet, quàm ab auditore capi potsit: nec se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse. S. Greg. in Job 29.* Tibi fortassis non est obscurum, quod dicis, quia diu jam meditatus es: perindéne patescet cuivis, primò tantùm, & semel audienti rem alienam? 2. Sit *Unica*; ex ipsius enim unitate vel multiplicitate desumitur unitas vel multiplicitas orationis. Unitatem verò facit simplicitas sententiæ. V. G. *Neminem esse solidè felicem, nisi qui vel ipse miser fuerit, vel alios miseros viderit. Deum tunc nobis esse propiorem, quando videtur nos deseruisse.* Et similes. Contra hanc unitatem peccare videntur illæ Propositiones, quæ habent duas partes sibi mutuò oppositas, quarum utraque in Confirmatione ventilatur, & eadem prolixitate argumentis stabilitur, ac demum circa finem primùm una pars alteri præfertur. Vocantur hæ *Problemata*. Ut: *Plúsne debeat India Xaverio, an Xaverius Indiæ?* Æquivalet enim hæc Propositio istis duabus, quæ sunt materia justæ orationis geminæ: *Plus debet India Xaverio, quàm Xaverius Indiæ.* Et: *Plus debet Xaverius Indiæ, quàm India Xaverio.* Tollitur hoc incommodum, si, quod suprà insinuavi, certus unam partem defendere, alterius partis rationes cursim perstringat vel in Exordio, vel statim post Exordium, ac tum totam suam Eloquentiam soli illi parti suæ impendat;

dat; in fine orationis verò partis oppositæ rationes confutet. Qua in re si quis aliter sentiat, non contendo. 3 Sit *Brevis*. Non addantur superflua, nec ita fusè proponatur, ut prolixitas obscuram faciat. 4. *Comprehendat totum*, quod in oratione transigetur, ut adeò singulæ ipsius partes ad hanc Propositionem, velut ad scopum, colliment. 5. Sit aliquo modo *Controversa*: nam si primo intuitu est indubitata, nec opus habet confirmatione, sed aliqua solùm explicatione, cui bono addetur Confirmatio, quæ est pars ita necessaria orationis, ut sine illa non sit oratio, sed expositio historica? Ut si dicas: *Avari sunt ridiculi, & sibi ipsis non bene faciunt*, ac deinceps mores ipsorum describas. 6. *Conveniat* oratori, auditori, loco, tempori. Quàm imprudenter notus ab avaritia suaderet liberalitatem; rusticis proponeretur aliqua subtilitas Theologica; in libera civitate vel regione laudaretur bonum Monarchiæ; in Paschate Passio Salvatoris sola exponeretur! Dico *sola*; neque enim ageret contra modò dicta, qui dolores ipsius præcedentes cum præsente gloria componeret. 7. *Attrahat* auditorem *vel utilitate*, *vel novitate*, ut aut prosit, aut delectet. Verùm cavendum, ne, dum novitas quæritur, aliqua vel temeraria, vel ridicula, vel obscura; vel captum auditoris excedentia, vel certè difficilia intellectu proferantur. 8. *Non mutetur* in decursu

curſu orationis, utì ſi quis probaret neceſſitatem laborandi pro conſequenda ſalute, qui in Propoſitione promiſit tractare de promptè agenda pœnitentia: licèt enim promptam pœnitentiam ſuadeamus propter ſalutem, ex eo tamen, quòd una ſit cauſa alterius, non idcirco una eſt altera, cùm ſalus obtineri poſſit etiam aliâ viâ, nimirum innocentiâ, atque adeò probatio talis non eſt legitima, & deſeritur Propoſitio. Eodem modo quando agitur de virtutibus, oportet bene diſtinguere inter eas, quæ ſunt præceptæ, & eas, quæ ad perfectionem ſpectant, ſúntque ſolùm de conſilio.

Quomodo Propoſitio vulgaris fieri poſſit nova.

IV. Quomodo Propoſitioni vulgari poteſt conciliari novitas, ut oblectando attentum reddat auditorem? Reſp. Quoſdam modos indicat P. Juglaris in Ariadne Rhet. Obſerv. 2. 3. 4. & 5. ex quo aliqua huc tranſfero. 1. Propoſitio acquirit novitatem, ſi, quæ certiſſima ſunt, efferantur problematicè. Ut, volo dicere, Ambitionem eſſe mundo pernicioſam: res eſt certa. Nova fit, ſi dicam: *Potioráne ab ambitione damna mundus acceperit, an verò commoda? An S. Franciſcus Saleſius homines plùs amaverit, quàm ipſum homines.* 2. Propoſitio abſoluta fit nova per comparationem. Abſoluta & vulgaris eſt: *Mali ſunt aliquando utiles virtuti.* Nova per Comparationem: *Virtus plura debet improbis, quàm probis.* 3. Evadit nova, ſi fiat mutatio de Genere in

Ge-

Genus, v. g. de genere vituperii in genus laudis. Ut si ex intentione laudis proponas, te velle tantùm vitia carpere, & maximæ laudis materiam vitiorum nomine producas. Si maledicis Panegyricum pollicearis. 4. Fit nova, si confletur ex Contrariis. Vulgaris est hæc: *Minùs dura est mors miseris, quàm felicibus.* Nova: *Felicitatis genus esse infelicem mori.* Huc spectat infra L. 6. dandum Paradigma: *S. Joannes Bapt. fuit maximus in Regno Christi, quia fuit minimus.* 5. Novitatem tribuit, quando reducitur ad paradoxum, id est, si proponatur per modum rei ab opinione hominum valde remotæ. Ut si velis dicere: *Hominem sibi multorum malorum auctorem esse,* nova erit: *Nemo est miser, nisi qui vult*; Vel: *Nemo læditur nisi à se ipso.* Admirabilior fiet, si in Exordio causæ afferantur, quæ videntur oppositum suadere. Hæc Juglaris. Addo 6. In concionibus sacris elegantiam novitatis habent Propositiones, quibus ipsum thema, ex S. Evangelio petitum, fundamentum præbet ad inferendam doctrinam moralem inexspectatam. Ut ex illo: *Quid hîc statis tota die otiosi. Matth. 20. v. 6. Qui stat otiosus, non diu stabit,* quia scilicet labetur in peccata. *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto. Matth. 24. v. 15. Abominatio desolationis stat in loco sancto, cùm peccatum mortale hæret in anima Christiani.* Vel: *Cùm peccatum sit in templo.* 7. Adhuc gratior est hæc novitas, quando

do duplex occasio habendi concionem concurrit, si utrique tamen eadem Propositio æqualiter conveniat. Ut, si Primitiæ alicujus sacerdotis celebrentur die anniversario Dedicationis Templi, posset ex illo *Luca 19. v. 9. Hodie salus domui huic facta est*, fieri hæc Propositio: Cùm de consecratione geminæ domûs Dei, vivæ scilicet, ac lapideæ, hodie agatur, *Major est causa reverentiæ & lætitiæ ex consecratione sacerdotis, quàm Templi.* Quod argumentum in fine L. 6. dilatandũ resumam. Sic cùm aliquando Festum B. Stanislai Kostka incidisset in Dominicam 22. post Pentec. ex illis verbis hujus Dominicæ: *Cujus est hæc imago & superscriptio? Matt. 22. v. 3.* traxi hanc Propositionem: *B. Stanislaus imago B. Virginis, inscripta SS. Nomine Jesu, & aliis signis gratiæ.*

CAPUT V.

De Partitione.

Divisio quid. 1. QVid est Partitio, sive Divisio orationis? Resp. Quint. L. 4. c. 5. Est partium orationis (per orationem hîc intelligendo Confirmationem) ordine collocata enumeratio. Fit hoc, quando orator interdum in ipsa Propositione, vel, ut ordinariè, post Propositionem, suam orationem in certa capita, de quibus acturus sit, distribuit.

Ubi adhibenda. II. Num in omni oratione utendum Partitione?

titione? Resp. Cicero illam aliquando non habet; aliàs eâ tectiùs utitur; apertiùs in Orationibus pro Quinctio, Sex. Rosc. Amerino, Lege Manilia, Cluentio, Muræna, Archia, Marcello, & 2. Philippica. Judicat Quintil. l. c. semper faciendam, quod quidem multi recentiores Oratores diligenter observant. Etvero plurimùm confert Partitio ad claritatem & ordinem orationis, ad memoriam oratoris & auditoris juvandam, atque ad hujus insuper patientiam retinendam, dum videt, quantum sit transactum, quantum supersit; nec parùm facilitatis affert in ipsa oratione componenda.

Quot partes admittat.

III. Quot capita seu partes plerumque complecti debet Partitio? Resp. Recentioribus placet, illam plerumque tres partes excedere non debere, eò quòd, si sua singulis proportio tribuatur, satìs impleant spatium, ad dicendum concessum. Ramus Rhetor contendit, illam esse vitiosam, si plures duabus partibus contineat. Quintil. l.c. ait: *Quapropter ne illos quidem probaverim, qui Partitionem vetant ultra tres propositiones extendere. Quæ sine dubio, si nimiùm sit multiplex, fugiet memoriam judicis, & turbabit intentionem. Hoc tamen numero, velut lege, non est alliganda, cùm possit causa plures desiderare.*

Ejus leges.

IV. Quæ sunt Leges Partitionis? Resp. 1. Sit *Clara* & obvia; non recondita, non longiùs petita, non intricata: quid enim

insulsius, quàm si illud sit obscurum, quod claritatis inducendæ causâ institutum est? 2. *Brevis*, nec ullo supervacuo verborum luxu onerata. Est item supervacuum in species partiri, si dividere in genera sufficit, aut speciem generi subiicere, vel partem toti, vel miscere Effectus cum Causa. Ut si quis dicat: Principio agam de ipsius virtute, tum de Justitia, demum de Continentia: quæ duæ Species virtutum jam continentur in Genere. Ita sint partes inter se distinctæ & oppositæ, ne una in altera includatur. Nihilominus sint inter se connexæ, ut sortiantur ex eodem principio, & ad eundem scopum tendant. 3. *Integra*, quæ scilicet complectatur omnia, deinceps in oratione secutura, saltem primaria capita. 4. *Ordinata*, ut videlicet initio firma, in fine firmissima ponantur, ob causam hujus Libri c. 1. n. 6. allatam. Rursus, ea pars statuatur in principio, ex qua, si præcedat, sequentes meliùs intelliguntur. 5. *Fideliter* insistat promissis, ut deinceps singulas partes eodem ordine tractet, quo illas antè in Partitione statuit; alioquin confunditur auditor. Nullam etiam ex præmissis omittat. Quod molestum incommodum ne propter temporis brevitatem contingat, dicendi spatium prævideat, nec plura in Partitione promittat, quàm speret, se intra illud posse dicere. Si quid ita ex scriptis supprimendum

dum

dum censeat, illud caput omittat, quod habet minus virium. Cæterùm Oratores, præsertim sacri, non angantur regulis divisionis, quas Dialectica tradit: satis est, si in expositione Verbi divini modò explicata observentur.

v. Unde sumuntur capita Partitionis? Resp. 1. & optimè Partitio nascitur *ex ipsa natura argumenti.* Ut: Mors est 1. inevitabilis: necesse igitur, ut ad illam nos disponamus. 2. Est propinqua: igitur præparatio non est differenda. 3. Est sine regressu: itaq; totâ, qua possumus, applicatione paranda. 2. *Ex Causis.* Ut: 1. Natura nos incitat ad vindictam passiones excitando; Christi, capitis nostri, gratia naturam corrigit. 2. Prudentia politica illam suadet specie utilitatis; Christus Rex noster leges contrarias Politiæ præscribit. 3. Ratio humana ad eandem impellit nomine Justitiæ; Christus tanquam noster Magister rationem hanc reformat. 3. *Ex Effectis.* Ut: 1. Mala conscientia impedit peccatorem, ne fruatur bonis hujus vitæ. 2. Efficit, ut anticipatò sentiat mala vitæ alterius. 4. *Ex Proprietatibus* alicuius rei. Ut: SS. Eucharistia est panis vitæ, & panis fortium: panis vitæ, ut nutriat animam; panis fortium, ut eandem roboret. 5. *Ex Adjunctis.* Non possessio bonorum terrenorum, sed solius Dei potest nos reddere beatos. Nam 1. illa nos non satiant. 2. Non verè

Unde sumatur divisio.

possidentur. 3. Non durant. Dum contrà Deus nos satiat, verè possidetur, & constanter, si velimus, nobis manet. 6. *Ex Enumeratione partium.* Ut: Tres species hominum se excusant à meditatione christiana exercenda, 1. Orationi non addicti, qui dicunt, se ad meditationem non obligari. 2. Rudes, qui causantur, se non scire modum meditandi. 3. Occupati, qui prætendunt, se non habere tempus. Ostendam primis obligationem; secundis modum; tertiis tempus. Item: Jejunium prodest corpori & animæ. 7. *Ex similitudine,* vel *Exemplis.* Ut: Pœnitentia Ninivitarum 1. vera dat in ruborem falsam Christianorum; 2. Illorum rigida horum remissam; 3. Eorundem prompta, istorum tardam & dilatam. 8. *Ex Antithesi.* Ut: 1. Legis Evangelicæ libertas est opposita mancipatui Legis Mundi. 2. Illius suavitas hujus rigori. 3. Illius sanctitas hujus impuritati. Item: Indomita passio facit 1. ex homine bestiam, 2. Ex Christiano idololatram, 3. Ex Electo Reprobum. Bretteville L. 2. c. 5. 9. *Ex speciebus Generi subjectis.* Ut cùm aliquem laudaturi certas species virtutum monstrandas ex omnibus seligimus, aut totum genericum in suas species distribuimus. Sic Cicer. pro Lege Man. Virtutem bellicam Pompeii dividit in scientiam rei militaris, fortitudinem, auctoritatem, felicitatem. 10. *Ex argumentis* ad probandam propositionem

nem inventis. Ut: Temperantiam 1. Ratio ſuadet, 2. Exempla docent, 3. Lex Chriſtiana præcipit. 11. *Ex Themate* ſacræ orationi præmiſſo. Ut: 1. *Diligite inimicos veſtros, 2. Beneſacite his, qui oderunt vos. Matth. 5. v. 44. Facite fructus dignos Pœnitentiæ. Luc. 3. v.* 8. Pœnitentiam 1. oportet *facere*, non tantùm dicere, ut ſolent plerique. 2. *Fructus* proferre debet, non ſola folia externæ ſpeciei. 3. *Dignos* Deo læſo, & peccatorum gravitate. 12. *Ex Tempore* præterito, præſente, futuro. Ut: *Ingratus* 1. Perdit beneficia accepta, 2. Non accipit in præſenti, 3. Nil acquiret in futurum. 13. *Ex Antecedentibus, Conſequentibus, & Concomitantibus.* Ut: Peccatum eſt grande malum 1. Quia ingens ingratitudo ſummis beneficiis exhibita. 2. Quia parit infinita hujus & alterius vitæ mala. 3. Quia cum ingenti contemptu fit præſentis, prohibentis, & concurſum univerſalem præſtantis Dei. 14. *Ex loco.* Ut: Quæ ſupra, infra, intra nos ſunt, ſuadent, facile eſſe ſervire Deo. 15. *Ex Contrariis.* Ut: Vitium probis & improbis diſplicet. Bona conſcientia in vita & morte conſolatur. Gratia Dei facilè amittitur, difficulter recuperatur. Parentes rarò ſatisfaciunt obligationi, quam habent erga filios: Filii rariùs obligationi, quam habent erga Parentes. 16. *Ex vario reſpectu ejuſdem rei.* Ut: Detractor nocet 1. ei, cui detrahit, 2. Audienti, 3. Sibi ipſi. 17. *Ex ætatibus*

bus. Ut: Labor honestus juvenes& senes decet. 18. *Ex Conditionum diversitate*. Ut: Humilitas ignobilibus debet esse propria;nobilibus magìs quàm illis debet esse cõmendata. 19.Sic,ne infinitus sim,ex omnibus ferè Locis oratoriis,&eorum partibus superiùs explicatis, potest depromi materia Partitionis. Nota denique sequentia exempla. Qui frequenter confitetur, 1. curat malum difficile cum minore difficultate. 2. Applicat media, dum adhuc prosunt. 3. Cavet, ne grave malum ipsi fiat familiare. Peccatum veniale ex parte Dei, & ex parte hominis connectitur cum mortali. Item est gravius malum, quàm communiter censeatur; quia punitur 1. graviter à Deo, eóque 2. justissimo, 3. sapientissimo, 4. clementissimo. S. Franciscus Salesius Amator Dei & hominum, à Deo & hominibus amatus. Possumus &debemus scire necessaria ad salutem : non igitur nos excusat, sed accusat eorum ignoratio. Christianus est summæ dignitatis, quia 1. Filius adoptivus Dei Patris, 2. Frater & membrum Dei Filii, fratris & capitis nostri, 3. Templum Spiritûs sancti. Juxta S.Bern. in Psalm. 90. SS. Angeli Custodes, 1. Fideles, 2. Prudentes, 3. Potentes sunt : quid sub eorum custodia timeamus ? Sufficiant hæc exempla Partitionis. Plura quemque ingenium, & Recentiorum ingeniosæ orationes docebunt.

VI. Quid

VI. Quid est *Subdivisio* ? Resp. Est capitum Partitionis in suas partes secundarias, si quas habet, divisio. Hæc interdum claritatis gratiâ fit, dum singulis hujusmodi capitibus breviter additur ratio, per quam in Confirmatione probabuntur. Hæc Subdivisio reipsa est Figura Distributionis, inferiùs explicanda. Eadem, utì grata, & pro docilitate auditorum nonnunquam utilis, sæpe etiam necessaria est, ita nec quærenda semper, nec fugienda est. Cavendum nihilominus, ne Divisionum & Subdivisionum cumulo tollatur perspicuitas, cujus tamen gratiâ fiunt. Modum subdividendi habes in hoc exemplo: Ministros Christi in Confessione respicere oportet 1. tanquam medicos, 2. tanquam mediatores, 3. tanquam doctores. Peccator est æger; indiget igitur medico. Est rebellis, læsæ Majestatis reus; itaq; opus habet mediatore. Est rudis, juxta illud: Omnis peccans ignorans: ergo necesse habet doctore. Postremò ne dicas, SS. Patres non feciſſe tales Partitiones, adeóque sacris orationibus eas non convenire: plerumque enim soli interpretationi Scripturarum insistebant. Utut verò sit, modus iste partiendi utilis planè, & elegans est, nec quidquam continet, quod sacram Eloquentiam dedeceat. Subdivisio.

CA-

CAPUT VI.

De Narratione.

Narratio.

1. QVid est Narratio ? Resp. Est rerum gestarum, vel quasi gestarum, expositio. Dico *Rerum gestarum*, ut hæc definitio conveniat narrationibus veris; *quasi gestarum*, ut includantur etiam fabulosæ. Aliàs verò Narratio oratoria, propriè dicta, definitur à Cic. de Partit. n. 31. *Est rerum explicatio, & quædam quasi sedes ac fundamentum constituendæ fidei.* Sed hæc est propria Generi Judiciali, in quo post Exordium res, de qua agitur, ut gesta est, narratur; aut aliter refertur, si ab adversario malè recensita sit. In hac rei expositione deinceps Status, Partitio, & Argumenta fundantur. Quoniam verò de hoc Genere agendum non videtur, aptior ad meum intentum est prior definitio, quæ convenit Narrationibus, in Deliberativo & Exornativo passim inferi solitis. Circa has tamen sacer Orator caveat, ne rumores & parùm confirmata in publico enarret, ne, si postea falsa fuisse deprehendantur, suam authoritatem perdat. Similiter abstineat in concione sacra à facetiis, intempestivis salibus, argutiis, & rerum inutilium aut ridicularum narratione, quæ nescio concionémne an concionatorem faciant contemptibiliorem prudentibus, dum vulgus ridet.

II. Quotu-

II. Quotuplex est Narratio? Resp. Ea, quam mihi declarandam sumpsi, est duplex. *Vera*, qua res aliqua verè gesta exponitur: & *Fabulosa*, qua interdum recensentur Apologi. Horum aliqui sunt *Rationales*, seu Parabolæ, quibus fingimus aliquid inter homines actum. Alii *Morales*, qui morem bestiarum exprimunt ad informandos hominum mores, per doctrinam moralem, ex hac fabula eruendam. Alii denique *Mixti*, qui ex Rationali & Morali coalescunt. Abstineo ab exemplis, quæ in Candidato Rhetor. videri possunt. Quando tali fabula seu apologo utimur, semper ejus sensus moralis debet explicari, & semper decori ratio habenda est. Vera & fabulosa.

III. Ad quid prodest Narratio fabulosa? Resp. Si interdum assumatur, *Oblectat* auditores. *Docet* per veritates, sub hoc cortice fabuloso latentes, & quandoque illas hoc medio meliùs imprimit, quàm si nudè ac apertè obtruderentur. Denique non rarò *Movet*, sicut tali fabula, prudenter adductâ, Menenius Agrippa populum Rom. olim commovit.

IV. Quas dotes debet habere qualiscunq; Narratio? Resp. Quatuor. Brevitatem, Perspicuitatem, Probabilitatem, & Suavitatem. Sit brevis.

V. Quid efficit *Brevem*? Resp. 1. Si omittantur verba superflua, & inanis garrulitas Adjunctorum non necessariorum. 2. Si non di-

dicantur, nisi quæ strictè necessaria sunt ad propositum, ut adeò, si historia plures partes & eventus habet, omittantur ii, qui nihil vel parùm conferunt ad rem nostram. 3. Si res una semel tantùm dicatur. 4. Si adhibeantur verba simplicia. 5. Si resecentur inutiles digressiones. 6. Universim verò longiores historiæ, quæ satis magnam orationis partem insumerent, à peritis Oratoribus non admittuntur.

Perspicua, VI. Quo pacto fit *Perspicua*? Resp. 1. Si utamur verbis usitatis, notis, & rem bene exprimentibus. 2. Si servetur ordo temporis, quo res gesta est. 3. Si, quando necesse est plura nomina propria, præsertim verò similia, citare, addatur explicatio: v. g. Drusus Tiberii frater; Drusus Tib. fil. Drusus Germanici fil. Tiberii ex fratre pronepos. 4. Si fiant breves sensus. 5. Si sensus non crebriùs intersecentur parenthesi, vel relativis. 6. Si tollatur ambiguitas dictionis, ut: Ajunt, Milonem occidisse Clodium. Uter alterum occidit? 7. Si res non altiùs repetatur velut ab ovo, nec inutiles periphrases adjungantur.

Probabilis. VII. Quid facit *Probabilem*? Resp. 1. Si factis non fabulosis addatur authoritas fide digni, qui rem vidit, vel audivit ex fide dignis; res fabulosa verò ita referatur, ut hoc modo contingere potuisset, aut contigisset, si v. g. animalia ratione & loquelâ uterentur.

tur. 2. Si non afferatur, quod non sit verisimile respectu vel personæ, vel loci, vel temporis, ut fœminam solam fugâsse turmam equitum armatorum, &c. 3. Si non referantur pro certis aliqua prodigia, apparitiones, & similia, quæ ab Ecclesia non sunt approbata: horum enim, utì sæpe non est necessitas, ita non cuivis statim certa veritas. 4. Si rei dubiæ aut suspectæ addantur adjuncta & causæ, quæ possint credibilem reddere. 5. Si simpliciter & sine fuco res recensеatur.

VIII. Quid confert *Suavitatem*? Resp. 1. Si verba elegantia, nitida, numerosa sumantur. 2. Si non narretur historicè, sed cum ornatu oratorio, imixtis Figuris, Suspensione, Communicatione, Hypotyposi, Ethopæia, Prosopopœia, & aliis. Si inserantur Colloquia, Exclamationes, Admirationes, Exitus inopinati, Affectus animorum. 3. Si variatio styli adhibeatur, modò tenuioris, modò amplioris, prout res tenuis vel ampla occurrit. 4. Si atrocia invidiosè, tristia miserabiliter, læta jucundè, &c. referantur. Plenus exemplis est Cicero, cujus Narrationes Selectæ in uno libello editæ habentur. 5. Sunt etiam modi quidam narrandi oratoribus familiares, dum in colloquiis sibi mutuò respondentium verba variant: Inquit, ait, dicit, respondet, reponit, refert, subjungit, subdit, cui alter, tum pater Suavis.

pater, reddit filius, ad hæc pater, rursus filius, &c. Insuper usurpant tempus præsens pro præterito. Iterum congerunt infinitivos, subaudito per synecdochen aliquo Verbo, quod ex reliquis facilè coniicitur. Ut: his auditis mater flere, lamentari, superûm hominúmque fidem implorare. Subauditur: *cœpit*. Denique coacervant plures sententias aut plura participia sine conjunctione.

CAPUT VII.

De Confirmatione & Confutatione.

Confirmatio. 1. QVid est *Confirmatio*? Resp. Est illa pars orationis, in qua ordine afferuntur & dilatantur argumenta, ad movendum intellectum inventa. Unde verò talia argumenta inveniantur, quonam ordine disponantur, qua ratione dilatentur, jam dictum est. Quare non est, quod hîc superaddatur, nisi monitum illud Lud. Granat. L. 1. Rhet. c. 7. ut sacer Orator conetur plenus zelo divinæ gloriæ & salutis alienæ ita suas orationes instituere, ut prosint, non ut ipse in iisdem laudetur. *Hæc mens*, inquit l. c. *hic affectus, hoc flagrantissimum divinæ gloriæ & humanæ salutis desiderium præcipuus hujus artificii magister est, dicenti pæne omnia præstat, docet negligere*

gligere, quæ inutilia sunt, rationes bonas excogitare, affectus excitare, suspensos tenere. Hic exclamat, arguit, obsecrat, increpat, terret, minatur, &c. Et alterum L. 2. c. 11. *Præcipuum munus Ecclesiastici magis in movendis quàm docendis auditorum animis positum est, cùm homines magis peccent affectu corrupto, quàm ignorantiâ veri.*

11. Quid est *Confutatio*? Resp. Est ea pars Confirmationis, in qua rationes ab adversariis allatas, aut quæ saltem afferri possent, dissolvimus. Qui hanc partem putant à Confirmatione non distinguendam, eâ fortè ratione ducuntur, quòd, sicut per argumenta, ita per Confutationem sententia nostra planè stabiliatur, ac confirmetur; roboratur enim nostra causa, dum adversarii causa infirmatur; & rationes oppositæ vim nostris adimunt, nisi illæ enerventur. Hinc in Responsione modò adjunxi: *Quæ saltem afferri possent.* Tametsi enim adversarium fortè non habeamus, qui contra nos peroret, si tamen videamus, auditoribus aliqua posse occurrere, quæ nostris rationibus opponant, nisi ea prævisa per Anteoccupationem diluantur, & quasi confutentur, minus roboris nostra argumenta habebunt. Confutatio.

111. Estne Confutationis usus etiam extra Genus Judiciale? Resp. Est procul dubio, tum in occasione modò indicata, tum in orationibus, quæ circa fidei controversias instituuntur, tum in aliis, ubi contrariæ Ejus usus.

riæ sunt opiniones, quæ à nonnullis utrinque defenduntur. V. G. An illud Christi: *Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matth.* 20. *v.* 16. intelligendum tantùm de tota collectione omnium hominum, an verò specialiter dictum sit de Christianis, quòd etiam ex his pauci sint salvandi. Et centum aliæ hujusmodi. Nonnunquam tota oratio est mera Confutatio adversarii. Argumentis tamen nostris propositis ordinariè instituitur Confutatio; quamvis levior aliqua responsio, danda alicui objectioni, quam auditor rationi expositæ posset opponere, non differatur ad finem, sed per Anteoccupationem statim subdatur. Possent nihilominus argumenta adversæ partis ante nostra produci, & iisdem statim responderi. Malè autem responsio differretur post nostra argumenta; quia ista tunc amitterent non parùm de sua vi, cùm in animis audientium nondum solutæ contrariæ rationes hærerent.

In eadem cavendum.

IV. Quid specialiter cavendum in Confutatione? Resp. Ne argumenta, quæ auditoribus non venissent in mentem, aut quorum solutionem credit ipsos non assecuturos aut capturos, in medium afferat. Idque maximè intelligendum in Controversiis Fidei coram simplicioribus.

Ejus ordo,

V. Quonam ordine confutamus? Resp. Directè oppositò illi, quo confirmamus. Sicut enim initio & in fine validiora, in medio

dio minùs efficacia argumenta locamus, propter cauſam hujus Lib. c. 1. n. 6. aſſignatam, ita in Confutatione initio & in fine debiliora, in medio illa refellimus, quæ validiora poſſent apparere, propter oppoſitam rationem. Poteſt tamen etiam obſervari ordo in reſpondendo, quem tenuit adverſarius in obiiciendo.

VI. Quot modis fit Confutatio? Reſp. Tribus juxta Quintil. L. 5. c. 13. Negando, Redarguendo, Elevando. *Negando.* 1. Si ab adverſario allata omnino negamus. Cic. pro Quinct. n. 36. *Negamus, te bona P. Quinctii, Sexte Nævi, poſſediſſe ex edicto Prætoris.* 2. Si aliquid à moribus & perſona alienum oſtendimus. Cic. pro Roſc. Amer. n. 36. *Patrem occidit Sext. Roſcius? Qui homo? &c.* 3. Si factum negamus ab Adjunctis loci, temporis, &c. Cic. pro Roſc. Amer. & pro Mil. 4. Negando cauſam Efficientem aut Finalem. Cicer. pro Roſc. Am. Cauſam non habuit occidendi. Non potuit per ſe, nec per alios. Non profuit ipſi, periiſſe patrem. *Redarguendo.* 1. Si dubium, fictum, falſum, incertum, aut parùm veriſimile dicere poſſumus, quod adverſarius objecit. Cic. ibid. n. 53. 2. Si oſtendimus, eum ſecum ipſo pugnare, ſeu ſibi contradicere. Ibid. n. 44. 3. Si tela poſſumus in ipſum retorquere, h.e. demonſtrare, quòd objecta ipſemet æquè ſolvere debeat. 4. Si mala fide procedere, aut propter ſcelera fi-

& modus.

de

de indignum esse convincere valemus. 5. Si modestè sine arrogantia adversarii argumenta irridemus. Qui modus interdum Ciceroni placuit, & specialiter tractatur à Quintil. L. 6. c. 3. *Elevando.* 1. Si adversa argumenta sint ejusmodi, quæ negari nequeant, elevantur & iminuuntur, aliquid simile in adversarium regerendo, quod pari cum difficultate solvere debeat. 2. Molliuntur objecta, excusando per Adjuncta personæ, temporis, occasionis, &c. 3. Ostenditur, argumenta non esse tam potentia, ut videntur, sed sumpta esse dubia pro certis, &c; aut continere fallaciam, æquivocationem, &c; aut denique niti falso fundamento. Breviter Cicer. in Partit. n. 44. *Aut totum est negandum, quod in argumentatione adversarius sumpserit, si fictum aut falsum esse possis dicere; aut redarguenda ea, quæ pro verisimilibus sumpta sunt: primùm dubia sumpta esse pro certis: deinde etiam in perspicuè falsis eadem dici posse: tum ex iis, quæ sumpserint, non effici, quæ velint. Accedere autem oportet ad singula, sic universa frangentur. Commemoranda sunt etiam exempla, quibus simili in disputatione creditum non sit.*

VII. Qui sunt alii insuper modi confutandi? Resp. 1. Dicendo, causas rei factæ esse alias, aut alium sensum verborum, quàm quas adversarius allegavit. 2. Rem fieri non potuisse, nec posse, maximè à Consequentibus, quæ ex tali facto fuissent oritura. 3.

Cùm

Cùm aliquid negari non potest, utimur compensatione, allatis virtutibus aut commodis contrariis. 4. Quod crimini datur ab adversario, ostenditur ex virtute factum, aut ex alia causa, quàm qualem ipse asserit. 5. Non reprehendendo adversarii objectionem, sed intentionem, scilicet invidiam, odium, &c. Hæc & plura vide in Tyroc. Eloq. L. 3. c. 4. art. 2. Palat. Eloq. Exerc. 5. lect. 13.

VIII. Quæ Figuræ serviunt Confutationi? Resp. Interrogatio, Apostrophe acrior, Concessio, Subjectio, Exclamatio, Ironia, Prosopopœia, Anteoccupatio, Responsio, Communicatio, Prætermissio, Permissio, Deprecatio, &c.

CAPUT VIII.

De Peroratione.

I. QVid est Peroratio sive Epilogus? Resp. Cicer. L. 2. ad Heren. *Est artificiosus orationis terminus*, in quo majore vehementia urget Orator, quod tota oratione contendebat, ut videlicet ultimatò moveat voluntatem ad id, quod ipsi persuadere constituit. Quandoquidem igitur ab hac parte victoria pendet, huc convertat, quidquid artis habet ad ciendos voluntatis Affectus; huc differat vires, ne lan- Epilogus.

 gueat,

gueat, ubi vim dictis ipsa contentio actionis addere deberet.

Ejus partes. II. Quæ sunt partes, & qui modi Perorationis? Resp. Tres. Enumeratio, Amplificatio, Affectus.

Enumeratio. III. Quomodo fit per Enumerationem? Resp. Quando præcipua capita & argumenta, per totam orationem sparsa, in artificiosam summam per Anacephalæosin (alii Recapitulationem appellant) ita colliguntur, ut sub unum velut aspectum breviter ponantur. Est hoc non antiquam, iisdem propè verbis & sententiis, crambem recoquere, quod offendit, sed contracta priora capita, verbis, figuris, modisque aliis memoriæ auditoris juvandæ cum gratia reducere. Exemplum præbet Cicer. in Orat. pro Lege Man. Hæc Enumeratio utiliter suscipitur, si longior fuit oratio, & argumenta plura, vel prolixiùs diducta.

Amplificatio. IV. Quomodo per Amplificationem? Resp. De hac satis dictum est L. 1. c. 6.

Affectus. V. Quomodo per Affectus? Resp. Etiam de his abundè tractatum eodem Lib. c. 7. & 8. Occurrunt tamen hîc aliqua insuper circa Affectus observanda. 1. Studiosissimè judicandum, quinam Affectus cuivis orationi maximè congruant. 2. Quando unum Affectum intendimus, nihil afferamus, quod movere possit etiam oppositum; alioquin nobis propositus hebetatur. V. G. Qui nititur

tur ex demonstratione Judicii divini concitare timorem, caveat, ne quid adjungat de magnitudine divinæ Misericordiæ. Nihil obstat tamen, quo minùs auditores satìs jam terrore perculsos, circa finem consoletur mentione divinæ Misericordiæ, pœnitentes recipere paratæ, ne debiliores desperent. 3. Affectus tunc moventur vehementiùs, quando priùs mota est phantasia, quæ imaginibus, speciebus, viva rerum repræsentatione, ex similitudinibus, exemplis & aliis hujusmodi imbuitur & quasi figitur, magisque propinquis quàm remotis, præsentibus, quàm præteritis aut futuris commovetur. Ut si dicatur: *Persuasum habe, peccator, jam te citatum ad illud tremendum Judicis irati Tribunal; scelera Judicium accelerârunt; jam pro foribus stat Judicis apparitor mors; ratum est; hodie adhuc rationes animæ tuæ discutientur, &c. Non contremiscis? Non illas ipse componere vel hoc momento properas? Rursúsne in crastinum differes, vel de hora sequente incertus? &c.* 4. Prudenter monet Quint. L. 6. c. 1. *Ut totas causæ suæ vires orator ante oculos ponat, & cùm viderit, quid invidiosum, favorabile, invisum, miserabile, aut sit in rebus, aut videri possit, ea dicat, quibus, si Judex esset, ipse maximè moveretur.* 5. Affectus debent crescere, h. e. posteriora debent esse vehementiora prioribus; nam ut idem ibid. ait: *Quidquid non adiicit prioribus, etiam detrahere videtur; & facilè deficit Affectus,*

qui descendit. 6. Affectus sint breves. Fatigantur orator & auditor, si protrahantur; & hic, quod aliàs dixi, se opponit, si animadvertat, sibi velut vim intentari.

VI. Debétne Enumeratio præcedere Amplificationem, vel Affectus? Resp. Potest etiam sequi.

VII. Possúntne hæc tria esse simul in eòdem Epilogo? Resp. Possunt; sed rarò expedit, cum aliàs fiat nimis longus. Itaq; commodius erit, si Affectus conjungantur vel cum sola Enumeratione vel cum sola Amplificatione.

Quàm longus esse possit.

VIII. Quàm longus potest esse Epilogus? Resp. Prolixitas nimia sine dubio est vitiosa. Longior potest esse Exordio. Quàm longus verò esse debeat, judicium cuiq; dictabit ex proportione totius orationis, ne videatur Epilogus non tam esse ejus exitus, quàm nova oratio.



LI-

LIBER III.

De tertia parte Eloquentiæ seu de Elocutione.

CAPUT I.

De his, quæ universim ad Elocutionem spectant.

I. QUid est Elocutio? Resp. Est illa pars Eloquentiæ, quæ res inventas, & dispositas, idoneis verbis, & sententiis exornat. Servit hæc pars ad delectationem, & ab hac propriè Orator eloquens vocatur. In hac igitur magna cura, longa exercitatio, & studiosa imitatio meliorum Auctorum ponenda est. Debet nihilominus sermo ita esse nativus, ut videatur non ab arte fuisse profectus, & cuivis imitabilis; in Oratore insuper sacro nescio quali religionis & pietatis modo conditus, quem facilius est sentire, quàm definire, ut ipsius dicendi methodus plurimùm à profanis orationibus discrepet. Elocutio quid.

II. In quo consistit hic ornatus? Resp. Suppositâ linguæ, in qua dicendum est, perfectâ notitiâ, ornatus sermonis pendet, Ornatus.

1. Ab ipsis verbis simplicibus, secundum se spectatis. 2. A Stylo. 3. A Periodis, Membris, Incisis, & eorum Numero oratorio. 4. A Translatione vocum. 5. Ab earundem figurata compositione, seu conjunctione. De singulis postea ordine agetur, postquam pauca de ipsis verbis seu dictione annotata fuerint.

Delectus verborum.

III. Quis delectus in verbis habendus? Resp. 1. Si latinè dicatur, curandum, ut non tantùm verba sint verè latina, i. e. non barbara, sed ipsa quoq; dictio: aliud enim est *Latina* dicere, aliud *Latinè*. Illud est, si nullum insit dictioni verbum barbarum; hoc verò, si etiam proprietatem latini sermonis habeat. Ridiculi sunt, qui putant, se tunc perfectè Ciceronem loqui, si nullum verbum afferant, quod Nizolii Onomasticon non contineat. Discitur hæc proprietas latini sermonis ex lectione Veterum classicorum, quibus lingua latina erat propria. Quamvis etiam Recentiores sint, qui bene scribant. Hujus linguæ gustum aliquem dare possunt P. Pomey Flos latinitatis, P. Tursellini Particulæ, P. Pontani Progymnasmata, P. Nieis, Vossius, Manutius, & alii. 2. Idem judicium esto de quovis alio idiomate, in quo non vulgi sermonem, sed cultiorum loquendi normam sequi oportet. Erubescat sacer Orator coram rusticis in oratione rusticum agere. 3.

Clariss-

Clariſſimè loquatur, utendo verbis uſitatis, ſenſu perſpicuo ac pleno. Caveat itaque quorundam ineptiam, qui, ut dictionem, juxta ſuam opinionem, elevent, ita ridiculè in grallis incedunt, ut nullum verbum ordinarium ſit ipſis ſatìs idoneum. Hi fortaſſis ſeipſos intelligunt; ab aliis profectò non intelliguntur. 4. Utatur verbis propriis, quæ rem bene exprimunt, & quæ putat, ab omnibus intelligenda. Puerile eſt laudem reconditæ ſcientiæ quærere ex peregrinis vocabulis, aut arti alicui propriis. 5. Servetur claritatis cauſâ ordo Grammaticæ, niſi Numerus aliud poſtulet. Vitentur trajectiones, longiores interjectiones, concurſus multorum adverbiorum; itémq; ut numero ſerviatur, inutilis inculcatio verborum, ad rem non pertinentium. 6. Abſtineat à vocibus in quacunq; lingua obſoletis, qualia in latina ſunt: *Olli*, *Quianam*, *ſiem* &c. Pari quoq; cura à novis ac barbaris, ut in latina: *Modernus*, *Poſſibilis*, *Quum* &c. quæ P. Nieſs, & Onomaſticon Nizolii in fine melioribus ſubſtitutis expungunt. Præterea à Poëticis, ut *Fare*, *Soboles*, &c. Quodſi tamen ejuſmodi verbum rem meliùs exprimeret, aut aliud, illi linguæ proprium, non occurreret, venia quaſi petatur illo utendi, conſuetis illis formulis: *Vt vocant*; *Liceat uti hac voce, ad rem explicandam*, &c. Multa tamen ſunt, veteribus latinis incognita, qui-

quibus hodie Christianorum usus jus in latino sermone consistendi tribuit, Ut: *Sacramentum, Pœnitentia, Eucharistia, Incarnatio*, &c. Horum aliqua latinis quidem jam fuerunt olim usitata, sed non in eo sensu, quem inter nos habent. 7. Quæ sint verba grandiora, consonantiora, &c. repete ex dictis L. 1. c. 13. n. 2. Circa verba consonantiora longam disputationem instituit Emman. Thesaurus in Idea argutæ dictionis c. 4. ubi ait, illa verba meliùs sonare, quæ constant pluribus vocalibus gratiùs sonantibus, quales sunt A. O. E. & pluribus consonantibus sonoris, quales ait esse P. L. T. B. F. M. N. V. Z. G. contrà duriores vocat J. U. C. S. Q. R. X. H. Quæ & plura alia apud eundem videre licet, cui lubet. Hac in re ut cura aliqua probatur, ita superstitio ridetur; ego post diligentem lectionem aurium judicio plus tribuerem.

CAPUT II.

De Stylo oratorio.

Stylus. 1. QUid est Stylus? Resp. Est certus character dicendi, quo quisq; utitur ad se explicandum. Idcirco tot Styli diversi reperiuntur, quot sunt, qui dicunt aut scribunt. Nascitur autem hæc diversitas partim ex discrepantia ingeniorum, partim ex

ex varietate librorum, quos quilibet pro suo gustu familiariùs tractando sensim etiam imitatur. Ferè sicut corporum constitutio ex alimento provenit. Utcunq; tamen Stylus differat, bonus ad tres classes revocatur.

II. Quis Stylus est bonus? Resp. Qui rem quamlibet explicat verbis & modo, quibus oportet; ita scilicet dicendi methodum rebus accommodans, ut magnas gravi, mediocres temperata, humiles infima dictione pertractet. Cic. de orat. n. 100. *Is est eloquens, qui & magna graviter, & humilia subtiliter, & mediocria temperatè potest dicere.* Bonus

III. Quotuplex est Stylus bonus? Resp. Non loquor hîc de Stylo historico, poëtico, epistolari &c. sed de solo oratorio, quem dixi esse triplicem. *Gravis* vocatur, qui constat verborum ornatâ copiâ, & sententiarum, non tumido, sed virili pondere. *Temperatus*, qui à gravi quidem stylo aliquantùm deflectit, non tamen ad vulgarem loquendi modum defluit: habet enim & numerum, & alia ornamenta oratoria. *Infimus*, qui ad familiarem loquendi modum propiùs accedit; nihilominus non caret ornatu aliquo minore, & industriâ moderatâ: lenioribus figuris est instructus, & sales ac eruditiones habet admixtas. Quotuplex.

IV. Quis Stylus quibus materiis convenit? Resp. Genus Judiciale postulat initio verecun- Quibus materiis conveniat.

cundiorem, sed instructum sententiis; in fine acriorem. Deliberativum gravem in magnis, temperatum in mediocribus, infimum in rebus humilibus. Exornativum petit expolitum, argutum, verbis & sententiis illustrioribus insignitum. Exordium elegantiâ moderatâ verborum & sententiarum niteat. Narratio propiùs ad quotidianum sermonem accedit; habet tamen ea, quæ suavitatem ipsi dare superiùs dixi. In Confirmatione stylus sit vehementior, figuris illustratus, & motibus ornatus. Epilogus sit omnium vehementissimus. In Elogiis sit sublimior, illustrior, & floribus ornatus, ut virtuti suus cultus augeatur. In quibusdam item Mysteriis, ut Nativitatis, Resurrectionis,&c. In aliis gravis. In aliis temperatus & mixtus. Hodie approbationem refert stylus quorundam, licèt paucorum, modestus, fluidus, pietatem redolens, & ferè ubiq; sibi constans, qui neq; affectatus sit, neq; vulgariter humilis. Quæ omnia non tam præcepta, quàm judicium, experientiam, & observationem ex lectione exigunt. Cæterùm quisq; suum ingenium & captum consulat, certúsq; sit, illum stylum meliùs placiturum, si reliqua non desint, qui dicentis naturæ proprius est: nam nimis exacta cura sese cogendi ad aliquid alienum plerumq; non habet felicem successum; & imitari stylum alterius, nisi lon-

longo conatui adhibito tandem aliquid deberi possit, ferè perinde est, ac in theatro velle personam agere, quam quis non valet assequi.

v. Quis Stylus est vitiosus? Resp. 1. *Tumidus*, qui verbis & sententiis, ultrà quàm par est, inflatus ferè ubique adhibet nomina grandia, verba sesquipedalia, epitheta splendida, translationes audaces, sententias ampullis superbientes. Ut *Xerxes Persarum Jupiter* pro *Rege*. *Virgines oculorum* pro *Pupillis*. 2. *Obscurus*, qui 1. ex confusione rerum, perturbatione ordinis, nominum propriorum multiplicitate, sensûs perplexitate nascitur. 2. Ex metaphoris longè petitis. 3. Ex iisdem & Allegoriis coacervatis. *Ut modicus atq; opportunus translationis usus illustrat orationem, ita frequens obscurat, continuus verò in Allegoriam & Ænigma exit.* Quintil. L. 8. c. 6. 4. Ex duabus Metaphoris diversi generis conjunctis. 5. Ex sensibus concisis: *Brevis esse laboro, obscurus fio.* Horat. de Arte. Sed in hoc facile est remedium, si quis se nonnihil magìs explicet. Vitanda illa Sallustii brevitas, & abruptum sermonis genus, in quo interdum sensus non completur. Utì etiam dictio copiâ materiæ & cogitationum nimiùm impleta, quam neque capaciores auditores satìs assequuntur, nedum rudiores, pro quorum tamen instructione potissimùm conciones habentur. Per quod rursus non suadeo stylum prolixum & langui- Vitia Styli.

languidum, qui inutilia inculcat, ut auditor ſpatium nanciſcatur cogitandi, ſed ut pauca eligantur, & bene prudentérque expoliantur. 3. *Servilis.* Ita voco illum, qui nihil audet ſuis verbis dicere, ſed anxiè venatur modos loquendi alterius, quem pluris aliis æſtimat, nec tamen in contextu orationis aſſequitur. 4. *Pedeſtris*, humilis, repens, ſiccus, frigidus, quæ in idem recidunt, eſt is, qui præcisè eſt ſermo, ſed incultus, deſtitutus nimirum varietate & cultu Figurarum. Sententias idem habet ſteriles, utpote nullâ ingenii notâ inſignes. Defectum inſuper in verbis, quorum copiâ laborat, & propriam vim ſignificandi neſcit; ſubſtantivis frequenter pronomina jungit, &c. Quæ mera ſunt indicia deficientis ingenii & lectionis. 5. *Nimiùm brevis*, qui vitiosè omnia contrahit in Inciſa, & plura cogitanda relinquit, quàm dicat. Unde obſcuritas oritur. 6. *Nimiùm prolixus*, qui ex oppoſito ſingula minutim & fusè proſequitur, explicat, variat, aliis verbis jam dicta repetit, Synonyma cumulat, quaſi auditoribus diffideret. Quod vitium præcedente majus & moleſtius eſt. Breves plerumque neſciunt artem dilatandi. Prolixi carent judicio in ſeligendo, aut certè dicenda non præmeditantur. 7. *Puerilis*, qui frequens eſt in diminutivis, *Blandulus*, *bellulus*, *&c.* multus in deſcriptiunculis horti, rivi, &c. Sæpe attentionem

tionem exigit; præceptorum peritiam jactat; in re quavis leviſſima attrahit, utcunq; eòdem ſpectantes, SS. Patrum & aliorum ſententias; neglectis figuris ſententiarũ totus eſt in verborum figuris & vocabulorum luſu. 8. *Poëticus*, quo non tantùm ille deſignatur, qui medios aut integros verſus dicendo facit, quod vitandum monet Quintil. ſed etiam qui dictionem, Poëtis propriam, in orationem transfert, introducendo deos, & perſonas abſtractas, ut Paupertatem, Superbiam, &c. loquentem vel agentem (quod alii ne Poëtis quidem permittunt) multiplicando nimiùm Tropos, vix aliquid ſine Metaphora vel Allegoria dicendo, pleriſque ſubſtantivis Epithetum attribuendo, &c. 9. *Allegoricus*, priori affinis, qui præter Allegoriarum frequentiam Periphraſibus, adagiis, frigidis acuminibus indulget. 10. *Scholaſticus*, qui nimis ſtrictè præceptis oratoriis ſemper inhæret, ubi ratio nonnunquam liberiorem ab iis dictionem ſuaderet. Ipſe Cicero non ſemper ſequitur ſua præcepta, ut fatetur L. 2. de Orat. n. 97. *Quæ ſi vero non ea præcipiam aliis, quæ mihi ipſi deſunt.* Itaque non nimis anxiè cavendum, ne unquam à præceptis oratoriis recedamus, ſed iis ſemel bene perceptis, & per habitum velut poſſeſſis, naturali eloquentiæ ſuus curſus liberior relinquendus, quemadmodum Quintil. L. 5. Inſtit. c. 10. dicit: *Retinendæ*

ſunt

ſunt oratoriæ regulæ ſine contentione, & applicandæ eo intuitu, quo, qui ſcribit, non cogitat, quibus ſyllabis ſit utendum. 11. *Miſcellaneus*, qui ſibi non conſtat, modò ſublimis, modò repens; modò frigidus, modò acutus: verbo, qui ex virtutibus & vitiis ſtyli coaleſcens fluctuat, nec eadem methodo conſtanter procedit. 12. *Antiquus*, qui nimis avidè undequaq; corraſas eruditiones antiquas in oratione denſat. 13. *Diſſolutus*, qui ſine nexu & particulis fluctuat huc illuc, nec poteſt viriliter propoſito inſiſtere. 14. *Argutus*, qui plenus eſt argutiis dictionum, reconditis, & ſæpe inanibus acuminibus. Hic ſtylus, utì contemnendus non eſt, ita luxuries ingenii prudentiâ & moderatione depaſcenda. Potiſſimùm in eo excedunt, qui famam ingenii captant; ſed vel idcirco ſæpenumero perdunt, dum in quibusdam frigidi apparent, ut illi concionatores, de quibus P. Bouhours in libello De recta in operibus ingenii cogitandi ratione, quorum aliquis ad probandum, juvenes quandoq; citiùs mori quàm ſenes, attulit illud Joan. 20. v. 4. Joannes juvenis *præcucurrit citiùs Petro* ſene *& venit primus ad monumentum.* Alius dixit, cor hominis eſſe figuræ triangularis, Mundum rotundæ, adeòq; hunc illud replere non poſſe. Alii: apud Hebræos eandem vocem ſignificare vitam & mortem, cum diſcrimine ſolius puncti; ideóque

ideóq; vitam à morte unico puncto distare. Christum sudâsse toto corpore sanguinem, & peccata deflere ita debuisse, cùm Deus totus sit oculus. Eundem tacuisse coram Herode, quia agnus in conspectu lupi perdit vocem; fuisse nudum in cruce, quia incidit in latrones; ut condemnet pompas funebres, extinxisse faces cœli solem & lunam; sepultum in lapide, ut monstret, quantùm abhorreat à mollitie; post resurrectionem apparuisse mulieribus, ut eadem innotescat statim omnibus. Pleraq; ex his vitiis fusiùs traducit Caussinus Eloqu. sac. & hum. L. 2. quem adi, si juvat.

VI. Quæ contrà sunt Styli virtutes? Resp. 1. Sit naturalis dicenti, i. e. minimè coactus, non affectatus. 2. Accomodetur rebus, juxta dicta n. 2. 3. Æquabiliter procedat, ut quo tenore cœpit, eodem continuetur usque ad finem. Quo non inhibetur illa inæqualitas, quam ipsæ res postulant; aliqua enim breviùs, alia fusiùs deducenda sunt; alibi argutiæ, alibi periodi, alibi incisa locum sibi vendicant. 4. Sit perspicuus. 5. Virilis, cum quadam dignitate sententiarum, & pondere verborum. 6. Omnes partes sint nitidæ, ut accuratio aliqua in excolendo appareat, neque ulla ex integro negligatur. 7. Habeat moderatè indicia ingenii, non solùm in Conceptibus, ut vocant, verùm etiam in ipso modo dicendi, qualem faciunt Metaphoræ, Ejusdem virtutes.

taphoræ, Similitudines, Antitheſes,&c. 8. Ita ſit in rebus magnis ſublimis, ut tamen neſcio quam thraſonicam elationem fugiat. Qui plura deſiderat, evolvat libellum, quem Card. Pallavicinus de Stylo ſcripſit. Plura etiam attenta lectio Ciceronis & aliorum melioris notæ ſcriptorum docebit. His tamen nec ſerviliter inhærendum, nec enitendum fruſtra, ut penitus aliquem imitemur, ſed ſolùm, ut ex eorundem obſervatione ſtylum noſtrum naturalem, ſi qua in re vitioſus eſt, emendemus & expoliamus.

CAPUT III.

De Periodo & ejus partibus.

Periodus.

1. QVid eſt Periodus? Reſp. Ciceroni de Orat. adBrut. n. 204. marginali, eſt Ambitus, circuitus, comprehenſio, continuatio, circumſcriptio. Eam deinde n. 207. deſcribit: *Tanquam in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis, abſolutíſq; ſententiis.* Aliter definiri poteſt: Oratio, quæ pluribus conſtat partibus, ita inter ſe connexis, atque à ſe invicem pendentibus, ut ſenſus non ſit perfectus abſolutúſque, niſi ultima pars accedat. Huic deſcriptioni ſequentes numeri lucem affundent.

Ejus partes.

II. Quænam igitur ſunt partes Periodi? Reſp. Membra: membrorum verò partes ſunt

sunt Incisa, prout Periodum constituunt; nam etiam extra hanc, ut dicetur, Membra adhibentur. Quamvis non sit necesse, ut Membra in Periodo semper Incisis distinguantur.

Membrum.

III. Quid est Membrum? Resp. Prout tanquam pars est in Periodo, Membrum est oratio, quæ quidem perfectam sententiam efficit, seu constructionem plenam, non tamen sensum ita absolvit, ut non exspectetur aliquid ulteriùs addendum. Ut Cic. pro Cæcin. *Si quantum in agro locísq; desertis audacia potest.* Ubi vides, constructionem ex legibus Grammaticæ esse absolutam, non tamen sensum. Extra Periodum autem Membrum est oratio perfecta, quæ Incisis velut partibus distinguitur, quin tamen ad sensum absolvendum ambitu aliarum partium indigeat. Ut Cic. pro Lege Manil. n. 31. *Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè divisum atque dispersum, quis unquam arbitraretur, aut ab omnibus Imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno Imperatore confici posse?*

Incisum.

IV. Quid est Incisum? Resp. Prout in Periodo ponitur, est pars Membri, seu sensus & constructio imperfecta, quæ vel non omnes partes grammaticales expressas habet, vel interruptas. Ut in præced. exemplo: *Hoc tantum bellum* &c. quinque incisa sunt sine verbo. In 2. Catil. n. 1. *Abiit, excessit, evasit, erupit,* sunt verba sine Recto apertè posito. Ibid. n. 4.

Sed cùm viderem, ne vobis, ne quidem omnibus, ne etiam tum probata, si illum, ut erat meritus, morte multâssem, fore, ut ejus socios invidia oppressus persequi non possem, rem huc deduxi, ut tum palàm pugnare possetis, cùm hostem apertè videretis. Est constructio interrupta. Extra Periodum Incisum est vel pars membri, vel sensus brevissimus. Ut 1. Catil. n. 1. *ô tempora! ô mores!* Vel sensus non expleto numero conclusus. Ut Cic. pro Cluent. n. 62. *Extat memoria: sunt tabulæ publicæ: redargue me, si mentior: testium dicta recita.* Et paulo pòst: *Quid ergo? negásne, illud judicium esse corruptum? Non nego: sed ab hoc corruptum non esse confirmo. A quo igitur est corruptum?* Vel sensus imperfectus, seu qui non omnes partes expressas habet, quas Grammatica requirit ad constructionem.

Periodorum species.

v. Quot sunt species Periodorum? Resp. Duæ. *Vulgares*, quarum partes quidem dicto modo connexæ sunt, non tamen omnes ita necessariæ, ut unâ vel alterâ omissâ sensus non esset plenus. Aliæ vocantur *Rotundæ*, súntque pulcherrimæ, quarum partes (habent autem tres, summùm quatuor) ita sunt connexæ, ut salvo sensu nulla possit omitti; ita sunt eædem plerumque constitutæ, ut quocunque ordine statuantur, semper idem sensus prodeat. Cic. pro Cæcin. init. *Si quantum in agro locísq; desertis audacia potest, tantum in foro atq; in judiciis impudentia valeret: non minùs in causa cederet A. Cæcina Sexti Æbutii impuden-*

pudentiæ, quàm tum in vi facienda ceſsit audaciæ.
Præterea Periodi pro numero Membrorum vocantur bimembres, trimembres, quadrimembres; imò quinque vel ſex membrorum. Sextum tamen Membrum ſit earum ſumma longitudo, & vel hoc ipſum rarò fiat. Ordinariè verò longiores quatuor Membris definiantur; alioquin enim vel obſcuræ fiunt, vel non facilè poſſunt ſine interruptione uno ſpiritu pronuntiari, quod tamen Cicero exigit. Membrum in perfectioribus Periodis non multùm excedat magnitudinem verſûs hexametri, quamvis Cicero & alii ſæpe longiora faciant. Longior talis Periodus *Pneuma*, Periodus unius Membri *Monocolos* ab Ariſtotele vocatur.

VI. Quid eſt periodicè dicere? Reſp. Eſt dicere per Periodos, ſive ſententiam Membris, inter ſe in aliquo ſenſu perfecto cohærentibus, & numerosè cadentibus, complecti. Dicere periodicè,

VII. Quid eſt membratim dicere? Reſp. Eſt ſenſum ſingulis membris, inter ſe non connexis aut cohærentibus, finire. Cic. pro Lege Man. n. 32. *Quam provinciam tenuiſtis à prædonibus liberam per hoſce annos? Quod vectigal vobis tutum fuit? Quem ſocium defendiſtis? Cui præſidio Claſsibus veſtris fuiſtis? Quàm multas exiſtimatis inſulas eſſe deſertas? Quàm multas aut metu relictas, aut à prædonibus captas urbes eſſe ſociorum?* membratim,

VIII. Quid eſt inciſim dicere? Reſp. Cùm in ſingulis Inciſis oratio inſiſtit & deſinit. inciſim.

Ut: *Veni, vidi, vici. Abiit, excesßit, evasit, erupit.* &c.

Quando sic dicatur.

IX. Quando periodicè? Quando membratim? Quando incisim dicitur? Resp. *Periodicè* in Exordiis; in rebus magnis, copiosis, & amplificatione dignis. Sæpe etiam quando suave ac temperatum genus dicendi requiritur, ut in Genere Exornativo. *Membratim* in rebus mediocribus, in Narratione, Confutatione, & reprehensione. *Incisim* in rebus levibus, in arguendo, confutando, deridendo; in salibus, in argutiis, in contentionbus,&c. Misceri autem debent periodicè dicta cum Membris, & membratim dicta cum Incisis: monstrosa enim esset oratio, quæ tota constaret catena quadam Periodorum, aut farta esset meris Membris. Et licèt Periodi ad delectationem faciant, earum tamen prolixior continuatio nauseam procrearet.

In periodis observandum.

X. Quid ulteriùs observandum in Periodis? Resp. 1. Ut sint numerosè fluentes. De Numero verò dicetur sequenti capite. 2. Ad hunc Numerum efficiendum non immisceantur verba, quæ ad rem non pertinent, nec alium, quàm hunc, finem habent. 3. Varientur, ne sint omnes eujsdem methodi; non semper iisdem pedibus inchoëntur, aut aliis similibus pedibus terminentur. 4. Non est de necessitate Periodorum, quod quidam incipientes videntur existimare, ut om-

omnes desinant in verba longissima. 5. Aut sint Figura aliqua sententiarum, illæ præsertim, quas ornatiores cupimus propinare, aut Figuris exornentur. 6. Sint clarissimæ. 7. In orationibus, præsertim latinis, sed cum proportione etiam in alia quacunque lingua magis ordinata factis, præcipua cura habeatur de initio & fine Periodi. Pro utroque loco Authores certos aliquos pedes observârunt.

Pedes periodorum.

XI. Quinam pedes considerantur in Periodis? Resp. Maximè sequentes:

Spondæus, qui constat duabus syllabis longis; ut *dicunt.*

Pyrrichius, duabus brevibus; ut *Novus.*

Choræus, quem alii Trochæum vocant, longâ & brevi; ut *semper.*

Jambus, brevi & longâ; ut *ferunt.*

Molossus, tribus longis; ut *Perfundunt.*

Tribrachys, tribus brevibus; ut *Agimus.*

Dactylus, longâ & duabus brevibus; ut *Littora.*

Anapæstus, duabus brevibus & longâ; ut *Faciunt.*

Bachius, brevi & duabus longis; ut *Amores.*

Antibachius, duabus longis & brevi; ut *Perferre.*

Creticus, qui & Amphimacer, longâ, brevi, longâ; ut *Obtinent.*

Amphibrachys, brevi, longâ, brevi; ut *Reguntur.*

Pæon 1. Longâ, tribus brevibus; ut *Perfidia.*

Pæon

Pæon 4. tribus brevibus & longâ, ut *Refugium.*

Dichoræus, longâ, brevi, longâ, brevi; ut *Conferantur.*

Diſpondæus, quatuor longis; ut *Concludendum.*

Dochimus, brevi, duabus longis, brevi, longâ; ut *Perhorreſcerent.*

XII. Quinam ex his aptè inchoant Periodum? Reſp. Quando ſermo hîc eſt de initio, non dicitur, tales pedes debere ſe mutuò ſtatim ſubſequi, ut patebit ex primo exemplo. Pro hoc itaq; ſerviunt: 1. Creticus geminus. Ut: *Neminem veſtrûm ignorare arbitror.* 2. Dichoræus. *Quantacunq; ſolertia.* 3. Pæon 1. *Si beneficio deorum immortalium.* 4. Pæon 4. *Facilitas illa diſſimulandi ſcelera.* 5. Creticus cum Spondæo. *Quæ precatus ſum à diis.* 6. Anapæſtus cum Cretico. *Fateor, Judices.* 7. Moloſſus cum Pyrrichio vel Tribrachy. *Quamvis illa ſit inter homines.* 8. Dochimus. *Honorem ſenatoriæ dignitatis.* 9. Spondæus cum Anapæſto & Cretico. *Etſi vereor, Judices.* 10. Dactylus cum Choræo vel Cretico. *Neſcio, quale debitum.* 11. Bachius cum Anapæſto. *Vehebatur in Eſſedo.* 12. Jambus cum Spondæo. *Novum crimen.* 13. Jambus cum Anapæſto. *Frequentia veſtra.* 14. Tribrachys cum Spondæo vel Choræo. *Timeo, ne parùm grata.* Hæc non ideo afferuntur, quòd ſola poſſint incipere Periodum, cùm alia initia fortaſſis æquè ſint idonea, ſed quia ſunt magis conſueta.

XIII. Qui-

XIII. Quinam pedes mediæ Periodo serviunt? Resp. Quoad medium aures potiùs consulendæ sunt, quàm præcepta. Videntur tamen placere Pæon 1. & 4. Anapæstus, Dichoræus, & his similes. Id tantùm curetur in tota Periodo, ut pedes temperentur ac misceantur, ne plures syllabæ longæ, aut plures breves concurrant.

XIV. Quinam Periodum eleganter finiunt? Resp. 1. Dochimus. *Cives reviviscerent.* 2. Creticus & Dichoræus. *Æmulos comparavit.* 3. Choræus & Molossus. *More Majorum.* 4. Dichoræus & Molossus. *Maximè laboraret.* 5. Duplex Creticus. *Plurimùm contulit.* 6. Creticus & Dactylus. *Moribus consonet.* 7. Jambus vel Anapæstus & Dispondæus. *Per tales viros infringendam.* 8. Tribrachys & Spondæus. *Factione violatam.* Sed ista lectione potiùs, usu, & aurium judicio discuntur. Quamvis autem modò expositа videantur soli linguæ latinæ convenire; habent tamen & aliæ vocabula duriora & leniora, in quibus temperamento studeat, qui suaviter & eleganter dicere meditatur.

Dilatatio in periodum.

XV. Quomodo potest quævis propositio dilatari in Periodo? Resp. Si partes veras non habet, ut verba simplicia: *morior, studeo, superbus*, &c. quærantur initio partes vel per Enumerationem, vel per Adjuncta. Hæ deinde & aliæ propositiones, quæ veras partes jam habent, ut: *Christus pro omnibus passus*

ſus eſt, ſumantur dilatandæ per ſingulas partes ſequentibus modis. 1. Per Definitiones conglobatas alicujus partis. 2. Per Adjuncta. 3. Per Enumerationem partium. 4. Per explicationem verbi cujuſdam, vel Inciſi, pluribus & elegantioribus modis illud proponendo. V. G. *Ignoratis?* Dic cum Cic. pro Mil. n. 33. *Vos hoſpites in hac urbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures? neq; in hoc pervulgato ſermone occupantur?* 5. Per Periphraſin. Ut: *Sol oriens.* Prodit è tenebris luminum pater, ſuísq; radiis minores ſtellarum lampades velut abſorbens, animam & colorem rebus denuo impertitur. 7. Per Synonymiam Figuram, aut ſenſus ſynonymos. 8. Per Allegoriam. 9. Per Enumerationem Cauſarum, Effectorum, Antecedentium, vel Conſequentium. 10. Per brevem Hypotypoſin, vel Ethopœiam. 11. Per Deſcriptionem ſingulorum particularium alicuius Generis, V. G. in hac propoſitione: *Omnes Hieroſolymitani cooperati ſunt condemnationi Chriſti.* Explicari poteſt, quid contribuerit Pilatus, quid Herodes, quid Pontifices, &c. 12. Per Affirmationem & Negationem, dicendo imprimis, quid res aliqua ſit, deinde quid ea non ſit. 13. Per Inductionem brevium exemplorum. 14. Per Congeriem pluribus ſimilibus dictionibus eandem rem exaggerando, aut per Auxeſin comparando. 15. Per Locos Rhetoricos

toricos alios, aut Figuras. 16. Per Testimonia. Neq; opus videtur exemplis, cùm passim sint obvia. Porrò singulas partes ita connecte, ut una trahat alteram, sensúsq; hac ratione suspensus continuato fluxu volvatur usq; ad Periodi complementum. Juvant hunc nexum aliquæ particulæ, de quibus mox.

Particulæ connectentes.

XVI. Quæ particulæ nectunt partes Periodi, ut vi sermonis necessariò, uno posito, debeat alterum sequi? Resp. *Quamquam*, *Etsi*, *Tametsi*, &c. necessariò sequi debebit aliud Membrum, quod respondeat per *Tamen*, *Veruntamen*, *Nihilominus*, &c. Sic se mutuò excipiunt: *Non solùm*; *Verùm etiam*. *Adeò*; *Ut*. *Tantum*; *Quantum*. *Talis*; *Qualis*. *Cùm*; *Tum*. *Quemadmodum*; *Sic*. *Sicut*; *Ita*, *Eodem modo*, &c. *Quoties*; *Toties*. *Unde*; *Inde*. *Quò*; *Eò*. *Non minùs*; *Quam si*. *Tot*; *Quot*. *Quæ maximè in urbibus* &c. *Ea etiam* &c. Et similes.

CAPUT IV.

De Numero oratorio.

Numerus oratorius.

1. QUid est Numerus oratorius? Resp. Juxta Aristot. L. 3. Rhet. c. 8. est *Rhythmus*, seu certa harmonia vocum, aptè inter se dispositarum. Cic. de Orat. ad Brutum versus finem, ubi prolixè de Numeris oratoriis disputat, n. 170. definit, quòd

quòd Numerus sit: *Aptè verbis comprehensa sententia.* Est nempe certa orationis & vocum dimensio, non quidem strictè pedibus illigata, ut versus (qui maximè vitari debet in oratione, nisi quis fortè ex Poëta allegetur) mensuram tamen aliquam, propiùs ad versus accedentem, in verbis observat, ut sermo gratior auribus accidat. Nam ut ibid. Cic. n. 162. *Rerum verborúmq; judicium prudentia est; vocum autem & numerorum aures sunt judices: &, quòd illa ad intelligentiam referuntur, hæc ad voluptatem, in illis ratio invenit, in his sensus artem.* Idem n. 198. per negationem Numerum sic describit: *Omnis nec claudicans, nec quasi fluctuans, & æqualiter constantérq; ingrediens, numerosa habetur oratio. Atque id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constat è numeris* (putà poëticis) *sed quod ad numeros proximè accedit,* Et paulo pòst: *In dicendo autem nihil est propositum, nisi, aut ne immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio.* Apertissimè n. 195. *Neq; numerosa esse, ut Poëma, neq; extra numerum, ut sermo vulgi, debet oratio.* Et post pauca: *Sit igitur permista, & temperata numeris, nec dissoluta, nec tota numerosa* (utì versus) *Pæane maximè, sed reliquis etiam numeris temperata.*

Ejus leges.

11. Súntne certa quædam præcepta, quibus Numerus nitatur? Resp. Primarium, & ferè unicum, est Judicium aurium, ex bonorum Oratorum observatione haustum,

quo

quo discimus orationem facere suavem, & nôsse, quid deceat, placeátque; quid contrà offendat aures; quomodo certis pedibus, initio & in fine maximè, observatis, de quibus Cap. præc. n. 12. & 14. oratio à vulgari sermone rudiorum discedat. Aliqua, ut notat Cic. l. c. n. 164. & 175. sunt per se numerosa, ut Figuræ verborum, quæ fiunt per similitudinem vocum. *Quæ sive casus habent in exitu similes, sive paribus paria redduntur, sive opponuntur contraria, suapte naturâ numerosa sunt, etiamsi nihil est factum de industria.* Idem n. 202. *Fit, ut, quod numerosum in oratione dicitur, non semper numero fiat, sed nonnunquam aut concinnitate, aut constructione verborum.* Potest nihilominus in locum certorum præceptorum succedere fuga sequentium vitiorum, quæ sunt Numero contraria. Etiam in Oratione virtus est vitium fugere.

111. Quæ sunt contra Numerum? Resp. 1. Cic. l. c. n. 150. *Ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat, aut asperas. Quamvis enim suaves gravésq; sententiæ, tamen si inconditis verbis efferuntur, offendent aures, quarum est judicium superbissimum.* Contingit hoc, ut oratio fiat hiulca vel aspera, quoties vox præcedens desinit in eandem vocalem vel consonantem, à qua vox sequens incipit. Ut: *Arma armis oppositæ. Ille enim. Homo optimus* Oppositæ numero.

timus, Isti igitur. Tu unus. Sub bonis. Ad decimum, &c. Quamvìs duæ consonantes similes nequaquam tam inconditè concurrant, si sint simplices, cùm in delicatiorum etiam linguarum verbis mediis conveniant, ut: *Abbrevio, addo*, quàm si collidantur duæ similes vocales, aut duæ consonantes duplices, ut x. x. *Rex Xerxes*, aut plures consonantes continuæ, ut: *Sunt plerique. Post stragem illam.* 2. Sejungantur etiam adverbia, quantùm fieri potest, ne multa conveniant. 3. Malè sonant conjuncta plura Qu. Ut: *Quiq; quidem, quorum intererat.* 4. Absonus est concursus duarum similium syllabarum, ut: *Homo modestus. Nolo loqui. Negantem tempus. Conficere residuum viæ.* 5. Omnino horrent aures se mutuò subsequentia, vel tria, nedum plura, verba desinentia in arum, erum, orum, antes, entes, antium, entium, &c. 6. Oblectantur aures, si voces tales assumantur, in quibus vocales variantur, quod Veteres tum aliàs, tum in suis Inscriptionibus studiosè curabant; contrà delicatiores læduntur, si multæ voces conjungantur, in quibus omnibus eadem vocalis v. g. A. O. vel alia decies aut sæpius recurrit. Quis ferre possit dicentem: *Orto illo bello, quotquot bonorum honorisq; naufragium antè fecerant, &c?* 7. Imò, quò magis cavetur, ne vocales, etiam dissimiles, præcedentis & sequentis vocabuli se mutuò tangant, eò suavior erit

oratio

oratio. Quàm durus hic sermo: *Arma ei offero, ut, &c.* Contra has & similes aurium molestias medium erit, si vel voces aliter collocentur, vel synonymæ malè sonantibus substituantur, salvo tamen monito Cic. n. 229. *Ne verba traiiciamus apertè, quò meliùs aut cadat aut volvatur oratio.* Qua in cura sine anxietate procedendum est. Idem n. 77. *Habet ille tanquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam hominis, de re magis quàm de verbis laborantis.* Et n. 78. *Quædam etiam negligentia est diligens.* 8. Neque ad concursum inamænum dirimendum inutilia verba vel particulæ immisceantur. 9. Nec eadem dictio, imò nec idem verbum, sæpiùs inculcetur, si aliud ejusdem significationis suppetat. 10. Vitentur periphrases frequentiores; multò magis verò perisologiæ, de quibus seq. Cap. n. 20. Denique breviter Cic. n. 231. *Qui fugerit, ut neque verbum ita traiiciat, ut id de industria factum intelligatur; neque inferciens verba, quasi rimas expleat; nec minutos numeros sequens concidat delumbétq; sententias; nec sine ulla commutatione in eodem semper versetur genere, numerorum is omnia ferè vitia vitaverit.* Etiam alias observationes ex Cicerone circa hanc materiam annotat Tyroc. Eloq. L. 4. c. 3. art. 3. & 4. quæ ex parte Periodos spectant. Eas placuit hîc recensere.

IV. Quæ sunt illæ observationes? Resp. Observationes. 1. In

1. In Periodo quoq; nominatim crescat oratio, dum rem attollimus, ut semper graviora sequantur. Vice versa decrescat, quando aliquid deprimimus sive minuimus. 2. Servetur ordo naturalis rerum. Vir ponatur ante mulierem, dies ante noctem, &c. 3. Ablativus absolutè positus occupet initium Periodi, vel membri, vel saltem verbum præcedat. 4. Adjectivum disyllabum elegantiùs sequitur substantivum polysyllabum. 5. Adjectiva, quæ multitudinem significant, comparativi, & superlativi, ornatiùs substantivo postponuntur. Ut: *Virtutes omnes. Virtus major.* 6. Adjectivum polysyllabum & Comparativus eleganter est initium aut finis Periodi. 7. Adjectivum *nullus* substantivo postponitur. 8. *Ego, tu, se, ille*, participio, & nonnunquam adjectivo postponuntur. Ut: *Existimo, sapientem illum esse.* 9. Verbum polysyllabum finiti modi pulchrè initium vel finem Membri occupat. Ut: *Excitat nos magnitudo. Solet in mentem venire.* 10. Non est necesse, ut semper verbum claudat Periodum; nomina enim, quæ plures habent syllabas, simplicioribus verbis ornatiora sunt. 11. Verbum *sum* tamen, si Comparativis aut Superlativis jungitur, rectiùs finem Periodi tenet. 12. In Narrationibus melius est tempus Præsens, quàm Præteritum. 13. Adverbia nominibus adjectivis non ineleganter postponuntur. 14.

Con-

Conjunctiones sæpissimè Periodum auspicantur, quales sunt: *Atq; illud quidem. Neq; verò. Jam verò. Sed etiam. Etsi. Quamobrem. Itaq;. Vt enim quisq;. Quin etiam. Verùm ego. Enimverò. Hunc igitur. Quis ergo. Nemo sanè, &c.* Sed hæc valeant, quantum possunt.

CAPUT V.

De Tropis.

I. QVid est Tropus? Resp. Est verbi vel sententiæ à propria significatione in alienam cum virtute, seu cum elegantia, translatio. Tropus

II. Quotuplices sunt Tropi? Resp. Duplices. Verborum & Sententiarum. Primi generis, quorum translatio fit in uno verbo, sunt septem: Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Onomatopæia, Catachresis, Metalepsis. Posterioris generis, in quibus translatio afficit integram aliquam sententiam, sunt quinque: Allegoria, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole, Ironia. Adeóque Tropi universim sunt duodecim. Quotuplex.

III. Quid est *Metaphora*? Resp. Strictè accepta translatio nominis aut verbi ab una re, cui est proprium, ad aliam rem similem, cui non est proprium. Ut cùm Christus Electos vocat oves, reprobos verò hædos. Ovis Metaphora.

vis & hædus sunt nomina bestiis propria, quæ tribuuntur hominibus, ob similitudinem, quam cum ove habent Electi, cum hædo Reprobi.

IV. Quot modis fit Metaphora? Resp. Quatuor modis. 1. Cùm vox uni animato propria tribuitur alteri animato. Ut: *Iratus rugit.* 2. Cùm inanimato proprium alteri inanimato assignatur. Ut: *Suavis concentus virtutum.* 3. Cùm animato proprium transfertur ad inanimatum. Ut: *Regina florum Rosa.* 4. Cùm inanimato proprium animato attribuitur. Ut: *Scipiones duo fulmina belli.* Per *animatum* intelligitur plerumque homo vel brutum.

V. Ob quam causam fiunt Metaphoræ? R. 1. Ob defectum verbi proprii ad rem exprimendam. Ideo dicuntur *Gemmare vites, luxuriari herbæ, homines duri esse atq; asperi.* 2. Ob majorem vim significandi. Ita res meliùs explicatur, si dicatur: *Æstuat irâ*, quàm: *Est valde iratus. Effrænata libido*, quàm: *Libido sibi quidvis indulgens.* 3. Propter ornatum, & delectationem, quam ex illa homines percipiunt. Sic ornatiùs dicitur: *Flumen Eloquentiæ*, quàm: *Eloquens.*

VI. Cur homines Metaphoris delectantur? Resp. Propter similitudinem, quæ ad unum verbum contracta in ipsis invenitur. Differunt tamen Similitudo & Metaphora, quòd illi adjungatur particula, quæ habet vim com-

comparandi, putà *Sicut, Quemadmodum* : hæc verò rem, cum qua comparatur aliquid, absolutè ſine comparatione alteri attribuat. *Iratus rugit ſicut leo*, eſt Similitudo. *Iratus rugit*, Metaphora. Præterea amamus videre unam rem in altera exiſtentem, & quod nos in propria ſua ſpecie conſpectum non moviſſet, rapit in aliena forma ac veluti larva. Sic propoſitio ſimplex, qualis eſt, quòd filiæ non ſuccedant in regno Galliæ, fit nova & ingenioſa, dicendo : *Lilia non nent.*

VII. Quæ ſunt vitia Metaphoræ? Reſp. 1. Si nimia ſit diſſimilitudo. Ut : *Cœli ingentes fornices.* 2. Si nimis longè petita. Ut: *Charybdis bonorũ* pro *voragine.* 3. Si ſit humilis. Ut: *Saxea mundi verrucæ*, pro *rupibus.* 4. Si ſit major, quàm res poſtulet. Ut : *Tempeſtas commeſſationis*, pro *tumultu.* 5. Si ſit minor. Ut : *Calor iracundiæ*, pro *ardore.* 6. Si ſit nimiùm frequens. 7. Si obſcura. 8. Si Poëtis propria nimis audacter ab Oratore uſurpetur, dum rebus ſenſu carentibus, v.g. Affectus aliqui tribuuntur. Ut : *Pontem indignatus Araxes. Indoluerunt tanto funeri ipſa templa & adificia.* Poſſunt tamen molliri conſuetis illis : *Ut ita dicam. Si licet ita loqui, &c.*

VIII. Quid eſt *Synecdoche*? Reſp. Eſt Tropus, in quo ſumitur 1. Pars pro toto, ut : *Mucro* pro *Enſe.* 2. Totum pro parte, ut: *Fontémq; ignémq; ferebat*, pro *aqua* & *prunis.* 3. Unus pro pluribus, ut *Militem conſcribit.* 4. Synecdoche.

Plures pro uno, ut : *Oratores visi sumus.* 5. Genus pro specie, ut: *Virtus* pro Fortitudine, vel alia. 6. Species pro Genere, ut : *Leo Lybicus* pro quovis leone. 7. Materia pro re, ut: *Pinus* pro *navi*, *aurum* pro *pecunia.* 8. Antecedentia pro Consequentib⁹, ut: *Quo tempore arbores jam comas deponere cœperunt*, pro *initio hyemis.*

Metonymia. IX. Quid est *Metonymia*? Resp. Est Tropus, in quo accipiuntur 1. Causæ pro Effectis, vel inventores pro rebus inventis, seu operibus, ut : *Ceres* pro *pane. Ciceronem legi.* 2. Effecta pro Causis, ut : *Totus expalluit*, pro *timuit.* 3. Continens pro re contenta & vicissim, ut : *Capacibus poculis dejectus est rationis usu.* pro *copioso vino. Hausit calicem. Græcia mendax.* 4. Possessor pro re possessa, ut : *Proximus ardet Ucalegon* : pro *domus proxima Ucalegontis.* 5. Signum qualecunque, seu naturale scilicet, seu ex instituto, pro re signata, ut : *Fumus*, pro *igne. Hedera* pro *vino venali. Aquilæ* pro *Romanis.*

Antonomasia. X. Quid est *Antonomasia*? Resp. Est Tropus, in quo ponitur pro vero nomine alicujus quidpiam aliud, quod illi vel soli, vel per excellentiam præ aliis convenit. Ut : *Orator Rom.* vel *Princeps Oratorum*, pro *Cicerone*; *Princeps Poëtarum latinorum*, pro *Virgilio*; *Regius Vates*, pro *Davide*; *Philosophus* pro *Aristotele*; *Philosophus Rom.* pro *Seneca*; *Doctor Angelicus*, pro *S. Thoma Aquinate.*

XI. Quid habet affinitatem cum Antonomasia? Resp. Epithetum : non tamen est Tro-

Tropus, quia non ponitur *pro nomine*, sed *nomini apponitur*. Sic si dicatur, *Regius Vates*, erit Antonomasia; si addatur: *David Regius Vates*, posteriora duo verba erunt Epithetum seu appositio.

XII. Quomodo Epithetis utuntur Oratores? Resp. Parciùs, quàm Poëtæ; alioquin, ut dixi, stylus degeneraret in poëticum. Quæ verò nonnunquam apponunt, debent 1. rei aut significationi aliquid addere. Ut: *Crimen ante hunc diem inauditum. Vir omni exceptione major.* 2. Elegantiora sunt, quæ continent aliquam Metaphoram, aut aliam translationem. Ut: *Effrænata libido. Insatiabilis avarorum ingluvies auri.* Epithetum.

XIII. Quid est *Onomatopœia*? Resp. Est fictio nominis, quod nativa sui soni similitudine ad rem significatam accedit. Ut: *Vagitus, balatus, rugitus, &c.* Hodie tamen non est permissum, neque opus, nova fingere, cùm vetera sint jam sufficientia. Onomatopœia.

XIV. Quid est *Catachresis*? Resp. Est abusus nominis alicujus, pro alio, in significatione ipsi vicino, aut non multùm absimili. Ut: *Perlegere oculis*, pro *circumspicere. Parricida*, pro eo, qui matrem, fratrem, aut sororem occidit. *Equitare in arundine. Equum divina Palladis arte ædificant.* Virg. Catachresis.

XV. Quid est *Metalepsis*? Resp. Est Tropus apud oratores rarissimus, in quo velut per gradus aliquos progrediendo aliud ex alio Metalepsis.

colligitur. Ut: *Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.* Ex aristis desumendæ sunt segetes, ex segetibus æstates, ex æstatibus anni. Est igitur versûs illius sensus: *Post aliquot annos mea regna videns mirabor.*

Allegoria.

XVI. Quid est Allegoria? Resp. Est Tropus, qui latinè *Inversio* dicitur, aliud verbis, aliud sensu innuens. Juxta quosdam est Metaphora continuata, seu integro aliquo sensu deducta; ut, sicut Metaphora fit unico verbo, Allegoria fiat integrâ sententiâ, vel aliquando pluribus. Ut si dicatur, *Vulpes* pro *astuto*, erit Metaphora. Si verò: *Malè vulpibus gallinæ custodiendæ creduntur*, pro: *Malè cupido & astuto bonorum alienorum administratio committitur*, erit Allegoria.

XVII. Quænam Allegoria est præstantissima? Resp. Quæ translationi admixtam habet elegantem similitudinem. Ut Cic. pro Mur. n. 35. *Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita, sæpe perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris.*

Adagium.

XVIII. Quid est aliquo modo simile Allegoriæ? Resp. Adagium, quod est dictum breve & celebre, aliud verbis, aliud sensu referens. Ut: *Non omne, quod fulget, aurum est.* Sensus est: *Non omnes, qui boni apparent, sunt*

sunt boni. Non irritandi sunt crabrones. Sensus est: *Non sunt lædendi, qui læsi possunt nocere.* Cic. in Ant. *O præclarum custodem ovium (ut ajunt) lupum!*

Ænigma.

XIX. Quid cavendum in Allegoria? Resp. 1. Ne sit obscura, alioquin degenerat in Ænigma, quod est obscura Allegoria. Facile tamen est obscuritati mederi, si verba propria & aperta addantur. Cic. pro Mil. n. 5. *Cæteras tempestates & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper Miloni putavi esse subeundas.* Sola vox *Concionum* addita obscuritatem tollit. 2. Curandum, ut quo genere cæpta est Allegoria, eodem pergat usque ad finem. Unde malè diceretur: *Per inimicorum malevolentiam invidiæ incendio conflagravi, cujus demum fluctibus demersus sum*, pro: *flammis absumptus sum.*

Periphrasis.

XX. Quid est *Periphrasis*? Resp. Latinè *Circumlocutio*, est Tropus, quo pluribus verbis eleganter dicitur, quod paucioribus dici potuisset. Ut: *Tempus erat, summi quo solem in culmina Mundi tollit anhela dies*, Statius. Pro: *Erat meridies.* Tropus hic apud Poëtas, quàm apud Oratores frequentior est. Si talis circumlocutio sit minùs idonea, aut nimis prolixa garrulitate abundet, est vitium orationis, quod *Perisologia* vocatur. Hinc addidi: *eleganter.*

Hyperbaton.

XXI. Quid est *Hyperbaton*? Resp. Latinè *Transgressio*, est Tropus, in quo verborum ordo

do, qui aliàs esse deberet, commutatur. Ut: *Quibus de rebus*, pro: *de quibus rebus. Video meam orationem in duas divisam esse partes*, pro: *partes divisam esse. Mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, quibuscum, &c.* Ex quibus videre licet, dupliciter ordinem mutari, vel cùm duo verba in unum coalescunt, ut: *Mecum* pro *Cum me*; vel cùm sejunguntur & alio disponuntur ordine, quàm qualem alioquin Grammatica præscriberet.

Hyperbole. XXII. Quid est *Hyperbole*? Resp. Latinè *superjectio*, est Tropus, quo rem quampiam augendo vel minuendo absolutè quidem verum non dicimus, per istam tamen superjectionem insinuamus, quàm magna, aut parva, aut qualis res fuerit. Augendo, ut: *Fulminis ocyor alis.* Minuendo: *Vix ossibus haret*, pro: *Est celerrimus, macilentissimus.* Modum nihilominus in augendo vel minuendo tenere oportet: aut si Hyperbole videatur audacior, delenienda est adjunctis quibusdam particulis, v. g. *Panè, Propemodum, ut ita dicam, &c.*

Ironia. XXIII. Quid est *Ironia*? Resp. Est Tropus, qui aliter *Illusio* vocatur, & ex verbis, quibus conflatur, vel aliis signis contrarium sensum indicat. Ut si Nero vocaretur *Pater patriæ, pius, mitis*, de quo nonnemo per salsam Ironiam cecinit:

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

In

In quo carmine verbum *sustulit* æquivocum priore loco significat *humeris efferre*, posteriore verò *interficere.*

XXIV. Ex quo cognoscitur, aliquid dici per Ironiam? Resp. 1. Ex pronuntiatione & vocis sono ad irrisionem composito. 2. Ex gestu ironiæ proprio, de quo L. 5. c. 3. n. 8. 3. Ex cognitis aliunde vel personæ, de qua agitur, moribus contrariis, vel alia rei natura. 4. Interdum ex ipsis verbis.

CAPUT VI.

De Figuris in genere.

I. QUid est Figura? Resp. Est conformatio quædam verborum vel sententiarum, à communi ratione loquendi remota. V. G. Si dicatur: *Quid jam hîc commorer? quid frustra tempus teram? quid aliorum ludibriis expositus hæream?* Est Interrogatio cum Repetitione. Vulgaris autem sermo diceret: *Nolo hîc commorari; frustra tempus tero; aliorum ludibriis expositus hæreo.* Quid sit Figura.

II. Súntne idem Figura & Tropus? Resp. Discrepant in eo, quòd Tropus fieri nequeat sine translatione à propria significatione ad impropriam; possit autem Figura fieri sine translatione, verbis propriis. Fit tamen interdum, ut Tropus & Figura coalescant, v. g. quando verbum aliquod metaphoricum Differt à Tropo.

cum repetitur, aut Allegoria per Interrogationem instituitur, &c.

Quotuplex.

III. Quotuplices sunt Figuræ? Resp. Duplices, *Verborum*, quæ ex certa collocatione verborum ornatum orationi tribuunt; & *Sententiarum*, quæ ob artificiosam conformationem sententiis & rebus ipsis elegantiam ac dignitatem addunt, ut, quibuscunq; verbis proferantur, eadem semper Figuræ vis ac majestas servetur.

Figuræ verborum.

IV. Quot modis fiunt Figuræ verborum? Resp. Tribus. 1. *Per Adjectionem*, dum aliquid vulgari modo loquendi superadditur, v. g. per Repetitionem unius vocis. 2. *Per Detractionem*, dum aliquid contra communis sermonis morem adimitur, seu omittitur. 3. *Per Similitudinem vocum.*

V. Quot Figuræ verb. fiunt per Adjectionem? Resp. Sequentes novem: Repetitio, Conversio, Complexio, Conduplicatio, Traductio, Polyptoton, Synonymia, Polysyntheton, & Gradatio.

VI. Quot per Detractionem? Resp. Quinque: Synecdoche, Dissolutio, Adjunctio, Disjunctio, Synœcios.

VII. Quæ per Similitudinem vocum? Resp. Istæ octo: Paronomasia seu Annominatio, Similiter cadens, Similiter desinens, Isocolon seu Compar, Antitheton, Commutatio, Correctio, Dubitatio.

Sententiarum.

VIII. Quæ sunt celebriores Figuræ sententiarum

tiarum? Resp. Hæ viginti sex: Interrogatio, Responsio, Subjectio, Anteoccupatio, Correctio, Dubitatio, Comunicatio, Prosopopæia, Hypotyposis, Ethopæia, Apostrophe, Aposiopesis, Emphasis, Sustentatio, Præteritio, Licentia, Concessio, Permissio, Parenthesis, Ironia, Distributio, Deprecatio, Optatio, Execratio, Epiphonema, Exclamatio. Præter has aliæ sunt, quas cap. 11. afferam.

In earum usu observanda.

IX. Quid circa usum Figurarum universim animadvertendum? Resp. 1. Non sint nimiùm frequentes. Sicut sal moderatus cibis saporem indit, nimius adimit; ita moderatæ Figuræ orationem condiunt, nimiæ destruunt. 2. Varientur, ne semper antiquæ recurrant. 3. Aliquæ rariùs adhibeantur, ut Gradatio, Sustentatio, Licentia, &c. Aliæ possunt frequentiorem usum habere, ut Interrogatio, Antitheton, &c. 4. Prima cura debet esse de Figuris sententiarum, secundaria de Figuris verborum; hæ enim illis serviunt, ut verborum ornatu fiant illustriores. 5. Loco, tempori, materiæ, & personis aptentur; neque enim omnes ubique congruunt. 6. Quando Affectus excitantur, non adhibeantur, nisi illæ, quæ Oratoris propositum adjuvant, & vim conferunt; alioquin cultus sermonis Affectum impedit, dum auditorem rapit ac distrahit. 7. Potissima tamen ratio habeatur, non tam ornatûs quàm

quàm rerum & argumentorum. Id in oratione sunt Figuræ, quod color in pictura. Quare sicut stultè ageret, qui de nitentibus & pretiosis tantùm coloribus telæ illinendis solicitus imaginem negligeret; ita qui neglectis probationibus & Affectibus totus esset in eleganter loquendo. Nempe non tam curandum, ut auditores dictionem laudent, quàm ut rebus moveantur. *Jacet*, inquit Quint. L. 8. *sensus in oratione, in qua verba laudantur.* Et S. Prosper de Vit. Contempl. cap. ult. *Prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia, quando non res pro verbis, sed pro rebus enumerandis verba sunt instituta* 8. Apertiores Figuræ, hoc est, quæ faciliùs advertuntur, artificiosè tegantur, semper alio cultu & novo modo easdem producendo. Nec v. g. in Præteritione semper redeat vulgarissimum illud: *Nihil dicam, de &c. Tacebo, Prætereo*; aut in Anteoccupatione: *Sed dicet mihi aliquis, &c.* 9. Meliores sunt Figuræ sententiarum, quæ continentur in aliqua Periodo, & verborum, quæ Incisis Membrorum adstringuntur. Ob quam causam plures postea per Periodos, Membra, & Incisa definiam, aut explicabo. 10. Figuræ non quasi per vim intrudantur in orationem, sed in ipsa materia tam naturaliter consistant, ut, cùm adsint, videantur non posse abesse, atque ita rebus attentum auditorem quodammodo fallant occulta delectatione, ut non advertat, nos ornatui

tui rebus addendo ſpecialem curam impendiſſe. Qua in re mirus artifex eſt Cicero, ex cujus & aliorum illuſtrium Oratorum lectione iſtud artificium obſervandum & diſcendum eſt. Puerile autem eſt, veluti præmonere auditorem, nunc aliquam elegantiam ſermonis ſecuturam.

CAPUT VII.

De Figuris verborum, quæ fiunt per adjectionem.

Figuræ verborum per Adjectionem. Repetitio.

1. QVid eſt *Repetitio*? Reſp. Eſt Figura, in qua plura Inciſa ejuſdem Membri ab eodem verbo incipiunt. Cic. 1. Catil. n. 1. *Nihílne te nocturnum præſidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitißimus habendi Senatûs locus, nihil horum ora vultúſq; moverunt?* Vel integrum inciſum, pluribus membris interjectum, ſæpius repetitur. Cic. pro Quinct. n. 52. *Ad vadimonium non venit: quis? Propinquus. Si res iſta graviſſima ſua ſponte videretur, tamen ejus atrocitas neceſſitudinis nomine levaretur. Ad vadimonium non venit: quis? Socius. Etiam gravius aliquid ei deberes concedere, quicum te aut voluntas congregâſſet, aut fortuna conjunxiſſet. Ad vadimonium non venit: quis? Is, qui tibi præſto ſemper fuit. Ergo in eum, qui ſemel hoc commiſit, ut tibi præſto non eſſet, omnia tela conjeciſti, quæ parata ſunt*

sunt in eos, qui permulta malè agendi causâ fraudandiq; fecerunt. In quo insigni exemplo duæ Figuræ sententiarum conjunctæ exornantur Figurâ verborum, videlicet unitæ Responsio & Subjectio Repetitione.

Conversio. II. Quid est *Conversio*? Resp. Est Figura Repetitioni opposita, in qua plura Incisa ejusdem Membri in idem verbum desinunt. Sic 2. ad Corinth. II. v. 21. *In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt: & ego. Israëlitæ sunt: & ego. Semen Abrahæ sunt: & ego. Ministri Christi sunt: & ego.* Cic. 2. Phil. *Doletis tres exercitus populi Rom. interfectos? Interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? Eos quoq; vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est? Afflixit Antonius.* Et pro Mil. n. 59. *Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Vnde? ab Appio.*

Complexio, III. Quid est *Complexio*? Resp. Est Figura, quæ Repetitione simul & Conversione constat, ita ut plura Incisa ab uno aliquo verbo incipiant, & in aliud sæpius repetitum exeant. Cic. pro Lege Agrar. *Quis Legem tulit? Rullus. Quis majorem populi partem suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? Rullus.* Tres istæ Figuræ serviunt ad exaggerandas virtutes & vitia, ad vehementiùs instandum, ad urgendos motus animi, &c.

Conduplicatio. IV. Quid est *Conduplicatio*? Resp. Est unius aut plurium verborum semel tantùm facta iteratio, in quo discrepat à præcedentibus tri-

tribus; & præterea, quòd ista iteratio non fiat in solo initio aut fine Incisorum, sed sex istis modis. 1. Geminatur idem verbum initio statim ejusdem Incisi. Cic. 1. Cat. n. 4. *Vivis; & vivis non ad deponendam sed ad confirmandam audaciam.* Et pro Mil. n. 92. *Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis.* 2. Initio & in medio. Idem: *Bona (miserum me! consumptis enim lachrimis tamen infixus animo hæret dolor) bona inquam, Cn. Pompeii acerbissimæ voci subjecta præconis.* 3. Initio & in fine. Cic. pro Marcell. n. 17. *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam; gladium vagina vacuum in urbe non vidimus.* 4. Continenter, aut paulo pòst idem verbum, sed non eodem sensu repetitur. *Principum dignitas erat penè par, non par fortasse eorum, qui sequebantur.* 5. Idem ponitur in medio & in fine. Cic. in 7. Verr. n. 43. *Hæc navis onusta erat ex præda Siciliensi, cùm ipsa quoq; esset ex præda.* 6. Totum Incisum repetitur. Idem Verr. n. 106. *Quid Cleomenes facere potuit (non enim possum quenquam insimulare falsò) quid, inquam, magnopere potuit Cleomenes facere?* Valet hæc Figura ad vehementiam, nonnunquam ad suavitatem orationi conciliandam.

v. Quid est *Traductio*? Resp. Est ejusdem verbi in eodem Membro paululum immutata per varia genera, aut modos, aut tempora, aut in diverso sensu facta iteratio, quæ concinniorem reddit orationem. Cic. pro Arch. Traductio.

Arch. n. 14. *Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas.*

Polyptoton. VI. Quid est *Polyptoton*? Resp. Est Figura non aliter à præcedente discrepans, quàm quòd ista immutatio fiat in casibus diversis, intelligendo casus in sensu Rhetorum, qui inter hos numerant etiam verborum tempora. Unde nonnulli hanc à priore non disjungunt.

Synonymia. VII. Quid est *Synonymia*? Resp. Est coacervatio plurium prope idem significantium. Valet ad amplificationem & exaggerationem. Cic. 1. Catil. n. 32. *Quare P. C. secedant improbi, secernant se à bonis, unum in locum congregentur, &c.* Dixi: *Prope idem significantium*: aliud enim est facere Synonymiam, aliud synonyma pueriliter congerere. Debent etiam ea plura in sensu aliquo modo crescere.

Polysyntheton. VIII. Quid est *Polysyntheton*? Resp. Est Figura, quæ conjunctionibus abundat, dum videlicet sua cuique Incisio tribuitur, cùm in vulgari loquela ultimum tantùm aliquam habeat. Ut: *Justitia, & fortitudine & temperantia, & prudentia, & religione & caterarum virtutum laude floruit.* Istiusmodi conjunctiones sunt: *Et, que, vel, aut, tum, partim, quà, seu, sive, &c.*

Gradatio. IX. Quid est *Gradatio*? Resp. Græcè *Climax*, est Figura, quæ in sequente Inciso semper aliquod verbum ex præcedente Inciso

ciso repetit, in eóque paululum subsistens quasi per gradus ad Membri finem procedit. Paulus ad Rom. 5. v. 3. *Gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem; spes autem non confundit.* Cic. pro Rosc. Am. n. 75. *In urbe luxuries creatur: ex luxuria existat avaritia necesse est; ex avaritia erumpat audacia; inde omnia scelera ac maleficia gignuntur.* Sed hæc Figura, cùm nimis aperta sit, rariùs assumatur.

CAPUT VIII.

De Figuris verborum, quæ fiunt per Detractionem.

Fig. verbor. per Detractionem. Synecdoche.

I. QVid est *Synecdoche*, prout est Figura, & à Tropo ejusdem nominis differt? Resp. Est reticentia unius verbi, quod ex contextu reliquæ orationis facilè intelligitur. Ut: *Sermo nullus, nisi de te.* Facilè subauditur: *factus est. His auditis ille vim sibi fieri animadvertens hominum superorúmq; fidem implorare;* intellige: *cœpit.*

Dissolutio.

II. Quid est *Dissolutio*? Resp. Est Figura, qua demptis conjunctionibus dissolutè plura dicuntur Cic. 3. Verr. n. 5. *Nullum esse dico indicium libidinis, sceleris, audaciæ, quod non in unius istius vita perspicere possitis.* Sic etiam plura Incisa sine conjunctione congeruntur. Cicer.

cer. pro Arch. n. 16. *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

Adjunctio. III. Quid eſt *Adjunctio*? Reſp. Eſt Figura, qua plura Inciſa unicum verbum habent, quorum quodlibet illud pro ſe exigeret, ſi ſolum poneretur. Verbum porrò iſtud poteſt eſſe in primo vel in ultimo Inciſo. Cic. 1. Catil. n. 22. *Neq; enim, Catilina, is es, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocârit.* Et pro Cluent. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

Disjunctio. IV. Quid eſt *Disjunctio*? Reſp. Eſt Figura præcedenti contraria, qua ſingulis Inciſis alicujus Membri ſpeciale verbum additur, cùm omnia ſatìs unico includerentur. Cic. pro Arch. n. 12. *Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, Judices, ut ab illis* (ſtudiis) *nullo me unquam tempore aut commodum aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas avocârit, aut deniq; ſomnus retardârit.*

Synœcioſis. V. Quid eſt *Synœcioſis*? Reſp. Eſt Figura, quæ duo Inciſa, ſibi mutuò contraria, unico verbo conjungit, quod in altero, ubi deeſt, ſubauditur, aut certè verbum æquivalens. Ut: *Tam deeſt avaro, quod habet, quàm quod non habet.* Supple: *ipſi deeſt.*

CA-

CAPUT IX.

De Figuris verborum, quæ fiunt per similitudinem vocum.

Figur. verborum per similitudinem vocum.

1. QUot modis fiunt Figuræ verb. per similitudinem vocum? Resp. Tribus. 1. Strictè & propriè dicta vocum ipsarum similitudine. 2. Paritate. 3. Oppositione, quæ certo cum ordine & æqualitate posita similitudinis rationem habere videtur.

Paronomasia

11. Quid est *Paronomasia* seu *Annominatio*? Et quot modis fit? Resp. Est Figura, qua paululum immutata verba atque deflexa, aut in alio aliquantùm sensu accepta, aut unius vel paucarum litterarum mutatione variata in eodem Membro vel Inciso conjunguntur: pluribus enim modis constituitur. 1. Adjectione litterarum aut syllabarum. Cic. pro Cluent. *Vestri auxilii est hujus innocentiæ sic in calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosa flamma, atq; in communi incendio subvenire.* Exemplum: *Fama, Flamma.* 2. Detractione. Ut: *Amore non more fecit. Non exigo ut huic Legationi immoriâre, sed immorare.* 3. Immutatione syllabæ, transeundo v. g. ab uno composito ad aliud. Cic. 1. Catil. *Hoc autem interfecto intelligo, hanc Reipub. pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse.* & n. 27. *Ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem videatur.* 4.

Translatione seu inversione unius litteræ, vel in primis syllabis, vel in mediis, vel in extremis. 1. Catil. n. 9. *De hujus urbis, atq; adeò orbis terrarum exitio cogitent.* Idem: *Consul ipse parvo animo & pravo. Arator, Orator. Vincire, vincere. Navus, vanus. Ignoscendi, cognoscendi, &c.*

Similiter cadens.

III. Quid est *Similiter cadens*? Resp. Est Figura, qua in eodem Membro duo aut plura verba vel nomina, licèt inter se conjugatione vel declinatione dissimilia, iisdem tamen casibus rhetoricis efferuntur, sive in principio, sive in medio, sive in fine Incisorum ponantur. Casus autem rhetorici sunt non tantùm in nominibus, sed etiam in verbis similem modum aut tempus habentibus. Cic. in Verr. *Est idem Verres, qui semper fuit, ut ad audendum projectus, sic paratus ad audiendum.* Et 7. Verr. n. 18. *Qui nunc reus non ita defendatur, ut mediocris prætor; sed ita laudetur, ut optimus imperator.* Et pro Lege Man. n. 36. *Quantâ innocentiâ debent esse Imperatores; quantâ deinde omnibus in rebus temperantiâ! quanta fide! quanta facilitate! quanto ingenio! quanta humanitate!* Exemplum est in: *audendum, audiendum: Projectus, paratus: Defendatur, laudetur: Mediocris, optimus: Prætor, imperator; Innocentiâ, Temperantiâ, &c.*

Similiter desinens.

IV. Quid est *Similiter desinens*? Resp. Est Figura, in qua plura Incisa desinunt in verba, nomina, aut adverbia, habentia similem exitum ultimarum syllabarum. Cic. pro Leg. Man.

Man. n. 48. *Ut ejus semper voluntatibus non modò cives assenserint, socii obtemperârint, hostes obedîerint, sed etiam venti tempestatésq; obsecundârint.* Differt hæc Figura à præcedente. 1. Quòd in hac admittantur etiam adverbia & aliæ voces indeclinabiles, modò fines similiter sonent; in illa verò sola verba & nomina. 2. In hac exitus debent esse similes; non item in priore; quamvis ea similitudo exitûs non obstet, modò etiam casus sint similes. Cic. pro Sext. n. 35. *Equester ordo reus à Consulibus citaretur, Italiæ totius autoritas repudiaretur; alii nominatim relegarentur, alii metu ac periculo terrerentur.* Et plura ibidem.

v. Quid est *Isocolon* seu *Compar*? Resp. Est Figura, cujus plura Membra vel Incisa constant *ferè* pari numero oratorio & syllabarum. Cic. pro Leg. Man. n. 35. *Bellum extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.* Isocolon.

vi. Quid est *Antitheton*, seu *Contrapositum*? Resp. Est Figura, in qua duo vel plura Incisa sibi mutuò opponuntur, aut etiam una pars Incisi alteri parti. Fit hæc oppositio tripliciter: 1. Singula singulis opponendo: Cic. 2. Catil. n. 10. *Hoc verò quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus?* 2. Bina binis. Cic. pro Cluent. n. 4. *Non est nostri ingenii, vestri auxilii est, Judices.* 3. Multa ejusdem generis simul in uno Membro Antitheton.

bro junguntur, quibus in altero Membro contraria, etiam conjuncta, respondent. Cicer. pro Mil. n. 10. *Est hæc, Judices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.* In quo exemplo etiam bina binis opposita sunt in principio & fine. Et 2. Catil. n. 25. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, illinc furor; hinc honestas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido; denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: postremò copiæ cum egestate, bona ratio cum perdita, mens sana cum amentia, bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit.* Quod unum exemplum continet omnes tres modos Contrapositorum. Hæc Figura multùm oblectat, & tantò magis, quòd non facta, sed ex ipsa re nata videatur. Interdum etiam acrimoniam habet. Cavendum tamen à nimia Contrapositorum frequentia in eadem, aut ferè singulis, quæ habentur, orationibus.

Commutatio.

VII. Quid est *Commutatio*? Resp. Est Figura, qua duæ sententiæ inter se discrepantes ita efferuntur, ut posterior, priori contraria, ex hac ipsa nascatur. Cic. pro Cluent. n. 28.

n. 28. *Cæteri propter liberos pecuniæ cupidiores solent esse; ille propter pecuniam liberos amittere jucundum esse duxit.* Et pro Lege Man. n. 31. *Hoc tantum bellum, &c. quis unquam arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse?* S. Paulinus de Publicano & Pharisæo Luc. 18. *Justior apud Deum ille accusator iniquitatis suæ, quàm iste justitiæ prædicator. Iste se laudando se accusavit; ille accusando defendit. Mali ad hoc utuntur Deo, ut fruantur mundo; boni ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo. S. Aug. L. 5. de Civit. Dei. c. 7.*

VIII. Quid est *Correctio*, prout est Figura verborum? Et quomodo fit? Resp. Est Figura, quæ verbum positum corrigit, vel illud solùm removendo, ut: *Civis hic, si civis vocari meretur*: vel verbum aptius alteri substituendo. Ut: *Consul; patriæ proditorem rectiùs nominâssem.* Correctio.

IX. Quid est *Dubitatio*, prout est Figura verborum? Resp. Est Figura, qua quærit Orator, quid ex duobus aut pluribus dicere debeat. Ut: *Amorem illum aliqui studium, morbum alii, nonnulli insaniam vocant. Ego quo nomine appellem nescio; quid sentiendum sit, ipsi judicate.* Dubitatio.

Hæc de Figuris verborum. Verùm Elocutio non in his, sed in sententiarum Figuris sita est, sine quibus iste ornatus verborum levis est.

CA-

CAPUT X.

De Figuris sententiarum.

Figuræ sententiarum. Interrogatio.

1. QVid est *Interrogatio*? Et quot modis fit? Resp. Est Figura, qua Orator non sciscitandi in dubia re, sed alterius rei gratiâ, vel adversarium, vel alium interrogat, in laudibus, vituperiis, aut in motibus concitandis. Fit ea decem modis. 1. Vehementiùs instando. Cic. 1. Catil. n. 1. *Quousq; abutêre, Catilina, patientiâ nostrâ? Quamdiu nos etiam furor iste tuus eludet? &c.* Quantò vehementior est hæc dictio, quàm si dixisset: *Jam diu abusus es, Catilina, patientiâ nostrâ, diu nos etiam furor iste tuus elusit.* 2. Interrogando de eo, quod negari non potest. Cic. 1. Catil. n. 16. *Quoties jam, quoties jam tibi extorta est sica ista de manibus? Quoties verò excidit casu aliquo, & elapsa est?* Et sæpius in eadem oratione. 3. Quærendo de eo, cui difficile sit respondere, Cic. pro Rosc. Com. n. 13. *Stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo præsente? quis spopondisse me dicit? nemo.* Et pro Rosc. Am. n. 43. *Quid ais, Eruti, prædia tam pulchra, tam fructuosa Sex. Roscius filio suo relegationis ac supplicii gratiâ colenda ac tuenda tradiderat? Quid hoc? &c.* 4. Invidiam alicui accersendo. Plenus exemplis est Cic. in Vatinium. 5. Miserationem excitando Idem pro Mil. n. 94. *Vbi nunc Senatus est, quem secuti sumus? ubi Equites Rom. illi, illi, inquit, tui? ubi studia*

dia municipiorum? ubi Italiæ voces? ubi denique tua M. Tulli, quæ plurimis fuit auxilio, vox & defensio? Mihíne ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari? 6. Admirationis causâ. Idem pro Rosc. Amer. n. 72. *Tanti maleficii crimen, &c. probare tu, Eruti, censes posse talibus viris, si ne causam quidem maleficii protuleris?* 7. Indignationis. Idem pro Rosc. Am. n. 29. *Quid primum querar? aut unde potissimùm exordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam?* Et 1. Catil. n. 2. *O tempora! ô mores! Senatus hoc intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? Imò verò etiam in senatum venit: fit publici consilii particeps: notat & designat oculis ad cædem unumquemque nostrûm.* 8. Acriùs imperando. Ibid. n. 13. *Quid est, Catilina, num dubitas id me imperante facere, quod jam tua sponte faciebas? Exire ex urbe consul hostem jubet.* 9. Seipsum vel alios alloquendo. Cic. 7. Verr. n. 2. *Quid agam, Judices? quò accusationis meæ rationem conferam? quò me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam boni nomen imperatoris opponitur.* 10. Jocando & irridendo, ut in ultimo exemplo, & pro Rosc. Am. n. 54. *Quid ergo affers, quare id factum putemus? Verè nihil potes dicere. Finge aliquid saltem commodè, ut non planè videaris id facere, quod apertè facis, hujus miseri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere. Exhæredare filium voluit? Quam ob causam? Nescio. Exhæredidavítne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cogitabat? Cui dixit? Nemini.* Hæc Figura Ciceroni

ceroni & aliis frequentissima, plena est acrimoniæ, ut patet.

Responsio. II. Quid est *Responsio*? Resp. Non est Figura Interrogationi opposita, sed qua unum interroganti aliud, quod utilius est, respondetur, sive Orator seipsum interroget, sive ab alio interrogari se fingat. Fit autem responsio talis vel ad minuendum. Ut: *An Milo Clodium occidit? latronem, pestem patriæ, sibi insidiantem.* Vel ad exaggerandum. Ut: *Verrésne cives Rom. occidi curavit? Et quidem innocentes.*

Subjectio. III. Quid est *Subjectio*? Resp. Est Figura, qua Orator seipsum interrogat, & sibi ipsi respondet; vel, cùm alium interrogavit, non exspectato ejus responso ipse respondet Cic. de Haruspic. Resp. n. 23. *Tu meam domum religiosam facere potuisti? Ecqua mente? Qua invaseras. Qua manu? Qua disturbaveras. Qua voce? Qua incendi jusseras. Qua lege? Quam in illa quidem impunitate tua scripseras.* Perfectior est hæc Figura, si tribus partibus constet, videlicet *Propositione*, *Remotione*, qua negatur id, quod fuit rogatum, & *Conclusione*, quando nimirum subditur, quod reipsa verum est. Ut Cic. pro Rosc. Am. n. 41. Propositio. *Quæramus, quæ tanta vitia fuerint in unico filio, quare is patri displiceret.* Remotio. *At perspicuum est, nullum fuisse.* Propositio alia. *Pater igitur amens, qui odisset eum sine causa, quem procreârat?* Remotio. *At is quidem fuit omnium constantissimus.*

Con-

Concluſio. *Ergo illud jam perſpicuum eſt, ſi neq; pater amens, neq; perditus filius fuerit, neq; odii cauſam patri, neq; ſceleris filio fuiſſe.* Ex quo ſimul patet, plures Propoſitiones, & Remotiones fieri poſſe. Eſt hæc Figura elegans, ſervítq; ad Exornationem, Vituperium, Suaſionem, Diſuaſionem, Confutationem, &c.

IV. Quid eſt *Anteoccupatio*, ſive *Prolepſis*? Reſp. Eſt Figura, qua Orator id occupat, ſeu dicendo prævenit, quod ab adverſario poſſet obiici. Cic. pro Quinct. n. 5. *Non eò dico, C. Aquilli, quò mihi veniat in dubium tua fides & conſtantia, aut quò non iis, quos tibi advocâſti, viris clariſſimis civitatis ſpem ſummam habere P. Quinctius debeat. Quid ergo eſt? Primùm magnitudo periculi, &c.* Idem I. Verr. initio cauſam affert, cur nunc accuſet, qui hactenus tantùm alios defendit: Et pro Roſc. Amer. cur ipſe potiùs, quàm alius, ſurgat ad Roſcium defendendum. Anteoccupatio.

V. Quid eſt *Correctio*, prout eſt Figura ſententiarum? Reſp. Eſt Figura, qua Orator non verbum tantùm, ſed ſententiam alia meliore corrigit, aliquo ex duobus modis, quos ſuprà dixi in Figura verb. ejuſdem nominis. Cic. pro Quinct. n. 7. *Qui communi ſtudio, ſummis opibus ſex. Navium defendunt: ſi id eſt defendere, cupiditati alterius obtemperare.* Correctio.

VI. Quid eſt *Dubitatio* Figura ſententiarum? Reſp. Eſt Figura, qua Orator dubitare ſe oſtendit, non quid *dicere*, ſed quid ipſe vel alius *agere* debeat. Pulchrior eſt hæc Figura, Dubitatio.

si singulis propositis dubiis responsio aliqua, vel confutatio, subdatur, ac demum Oratoris sententia. Sic Cic. 7. Verr. n. 125. *Quò confugient socii? Quem implorabunt? Qua spe denique, ut vivere velint, tenebuntur, si vos eos deseritis? Ad Senatum devenient, qui de Verre supplicium sumat? Non est usitatum, non senatorium. Ad populum Rom. confugient? Facilis est causa populi: Legem enim sociorum causâ jussisse, & vos ei Legi custodes ac vindices præposuisse dicet. Hic locus est igitur unus, quò perfugiant, hic portus, hæc arx, hæc ara sociorum.* Et pro Cluent. n. 4. *Equidem, quod me attinet, quò me vertam nescio. Negem fuisse illam infamiam judicii corrupti, &c.*

Communicatio. VII. Quid est **Communicatio**? Resp. Est Figura, qua vel auditores, vel adversarios ipsos consulimus. Cic. 2. Verr. n. 32. *Nunc ego vos consulo, quid mihi faciendum putetis; id enim consilii profectò taciti dabitis, quod egómet mihi necessariò capiendum intelligo.*

Prosopopœia. VIII. Quid est **Prosopopœia**? Et quot modis fit? Resp. Est alicujus personæ, vel alterius rei loquentis introductio. Imò potest Orator secum ipso ratiocinari, aut exponere, quomodo alia occasione secum ratiocinatus sit. Hæc repræsentatio loquentis alterius duplici modo fieri potest: 1. *Verè*, dum propria ipsius verba, quibus reipsa usus est, allegantur. Atque ad hunc modum revocari possunt verba aut sententiæ scriptorum, quæ in oratione citantur. 2. *Fictè*, dum personæ vivæ, vel mortuæ, urbibus, regionibus, &c. affingitur aliquis sermo. Porrò modus aliquem

quem loquentem introducendi rursus duplex est. 1. *Directus*, quando scilicet verba afferuntur eo modo absoluto, quo reipsa prolata sunt, aut dicta esse finguntur. 2. *Indirectus*, dum alterius sermo in sub junctivo aut inifinitivo refertur. V. G. *Imperator singulos seorsim Duces compellans, dixit: Ite, forti certamine vobis immortalem nominis gloriam, patriæ libertatem comparate.* Vel: *Irent, compararent.* Vel: *Jussit ire, comparare.* Exemplum geminum adduco ex Cic. 1. Verr. n. 19. *Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meu urbibus, sedibus, delubris fuit; quod in unaquaq; re beneficio Senatûs, Populiq; Rom. juris habui, id tu mihi, C. Verres, eripuisti, atq; abstuliſti, &c.* Et pro Mil. n. 93. *Me quidem, Judices, exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio assiduè, & quibus interfum quotidie: Valeant, inquit, valeant cives mei; sint incolumes, sint florentes, sint beati. Stet hæc urbs præclara, mihiq; patria charissima.* Et quæ sequuntur usque ad n. 95. legi dignissima. In 1. Catil. n. 18. patriam cum Catilina, & n. 27. eandem cum Cicerone loquentem inducit. Præterea spectat ad hanc Figuram *Dialogismus*, id est introducta in orationem personarum inter se sermocinatio. Ita Cic. 7. Verr. n. 109. *Quid erat autem, quod quisquam diceret aut defenderet? Cleomenem nominare non licet. At causa cogit. Morière, si appellâris; nunquam enim iste est cuiquam mediocriter minatus. At remiges non erant. Prætorem tu accusas? Frange cervicem.*

Et

Et pro Mil. n. 60. *Age verò, quæ erat, aut qualis quæstio? Heus ubi Ruscio? ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? Fecit. certa crux. Nullas fecit? Sperata libertas.* Rursus 2. Philipp. n. 77. Apta est hæc Figura ad suadendum, objurgandum, laudandum, hortandum, monendum, conquerendum, commovendos Affectus Miserationis, Odii &c.

Hypotyposis. IX. Quid est *Hypotyposis*? Resp. Est rerum gestarum talis descriptio, atque expressio, ut non tam dici, quàm velut oculis spectari videantur. Cic. 7. Verr. n. 105. *Procedit iste repentè de prætorio, inflammatus scelere & furore, crudelitate in forum venit, navarchos vocari jubet. Qui nihil metuerent, nihil suspicarentur, statim accurrunt. Iste hominibus miseris innocentibúsq; iniici catenas imperat. Implorare illi fidem pop. Rom. & quare id faceret, rogare. Tunc iste hoc causa dicit, quòd classem prædonibus prodidissent. Fit clamor & admiratio populi, tantam esse in homine impudentiam, atq; audaciam, ut aliis causam calamitatis attribueret, quæ omnis propter avaritiam ipsius accidisset: aut, cùm ipse prædonum socius putaretur, aliis proditionis crimen inferret.* Servit hæc Figura ad motus Commiserationis, Indignationis, Odii, &c. & ad Narrationes. Possunt denique etiam ea describi, quæ futura prædicuntur, v. g. vastatio urbis, in supremo agone lucta cum morte, Judicium divinum, &c. quod ad motus ciendos apprimè idoneum est.

Ethopœia. X. Quid est *Ethopœia*? Resp. Est imitatio vitæ ac morum. Per mores intelligendo vitæ insti-

institutum consuetudine firmatum, seu consuetum certorum hominum agendi modum. Sunt autem mores alii proprii nationibus & regionibus; alii personarum ætati, sexui, conditioni; alii certa virtute aut vitio præditis. Hac ratione Cic. 2. Agrar. n. 22. Rullum describit: *Jam designatus Consul alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto ac horrido, capillatior quàm antè, barbâq; majore, ut oculis & aspectu denuntiaret vim tribunitiam, & minitari Reip. videretur.* Discrepat hæc Figura à præcedente, quòd hæc solos mores personarum, illa res quasvis, ac si gererentur, repræsentet. Mores ætatum recenset Horat. de Arte poët. à versu 156. usque ad 174. *Ætatis cujusq; notandi sunt tibi mores, &c.* Alios alii.

Apostrophe.

XI. Quid est *Apostrophe*? Resp. Est Figura, qua orationem ad aliquem dirigimus seu directè convertimus, v. g. alloquendo auditores, Deum, Cælites, homines, urbem, patriam, leges, adversarios, &c. Elegantem Apostrophen ad deos facit Cic. in Peroratione 7. Verr. à. n. 138. *Nunc te Jupiter optime maxime, cujus iste donum regale* &c. quem locum, quia longior est, exscribere non permittit istud compendium. Breviùs pro Ligar. n. 9. *Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid*

quid cupiebas? quid optabas: Vehemens est hæc Figura, & ad motus animorum facta.

Apoſiopeſis. XII. Quid est *Apoſiopeſis*? Resp. Est Figura, ab aliis *Reticentia* & *Interruptio* dicta, qua orationem, ostendendi alicujus Affectûs, aut verecundiæ, aut rei cujuspiam exaggerandæ causâ (cùm graviora putentur, quæ supprimuntur) abrumpimus. Virgil. 1. Æneid. *Quos ego! sed motos præstat componere fluctus.* Cic. pro Cæl. n. 69. *Nihil est, quod in ejusmodi mulierem non cadere videatur. Audita, & pervulgata. & percelebrata sermonibus res est. Perspicitis animis jam dudum, quid velim, vel potiùs, quid nolim dicere.*

Emphaſis. XIII. Quid est *Emphasis*? Resp. Est Figura, qua plus Orator significat, quàm dicat. Ut Curtius L. 4. *Hic dies imperium, quo nullum amplius vidit ætas, aut constituet, aut finiet.* Est Emphasis sæpe in unica voce, ut si *timidus* vocetur *Lepus*; *fugax*, *cervus*; *muliebriter comptus*, *Venus*; *fortis*, *Hercules*; &c. *Matho lectică vehebatur ipso plenâ.* Innuitur Mathonem fuisse pinguissimum.

Suſtentatio. XIV. Quid est *Sustentatio*? Resp. Est Figura, qua suspenditur aliquamdiu exspectatio auditorum, ac demum aliquid inexspectatum, risu vel admiratione dignum, subjungitur. Habet etiam hæc tres illas partes, quas n. 3. & 6. hujus cap. dixi, videlicet *Propositionem*, *Remotionem*, & *Conclusionem*. Insuper concinnior evadit, si Dubitatio ipsi admisceatur. Per Conclusionem

hîc

hîc intelligitur manifestatio illius, quod contigit. Debet hoc, ut dixi, esse aliquid inexspectatum; ridiculum enim est, velle suspendere auditorum animos in re ipsis jam cognita. Cic. 4. Verr. n. 106. *Cognitorem adscribit Sthenio. Quem? Cognatum aliquem aut propinquum? Non. Thermitanum aliquem honestum hominem ac nobilem? Ne id quidem. At siculum, in quo aliquis splendor dignitásq; esset? Minimè. Quem igitur? Civem Romanum. Cui hoc probari potest?* Adhuc elegantiores duas Sustentationes habet 7. Verr. n. 10. *In Tricalino* &c. Et in eadem Orat. à n. 67. *Age porrò, custodiri &c.* usq; ad n. 70. & aliàs sæpius. Convenit hæc Figura præcipuè Narrationi, exaggerationi alicujus rei, & captandæ de novo attentioni auditorum, in longiore præsertim oratione.

xv. Quid est *Præteritio*? Resp. Est Figura, qua Orator simulat, se aliquid nolle dicere, quod tamen vel idcirco maximè dicit, dum obiter tangit, cùm, ut paulò antè dixi, graviora videantur, quæ studio tegi notantur. Cic. in Vatin. n. 11. *At illud tenebricosissimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latere. Licèt impunè per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilâris, matrem verberâris: habeat hoc præmium tua indignitas, ut adolescentiæ turpitudo obscuritate ac sordibus tuis obtegatur.* Ecce modum alium hanc Figuram proponendi, ne, quod cap. præc. carpsi, identidem redeat insipidum illud: *Tacebo, nihil dicam,* &c. quamvis non sit piaculum etiam istis

Præteritio.

istis verbis aliquando in Præteritione uti. Habet hæc Figura usum in exaggerationibus, objurgationibus, transitionibus; in rebus indecoris, quas pudor vetat proferre; in copia materiæ laudis, aut argumentorum, minùs potentium, quæ per hanc Figuram breviter tantùm indicata nihilominus cum reliquis vim suam habent.

Licentia. XVI. Quid est *Licentia*? Resp. Est Figura, qua Orator apud eos, quos vereri ac metuere deberet, aliquid ad comminandum, insultandum adversario, fiduciam ostendendam, vel commonendum pro suo jure dicit, quod tamen non offendat. Quoniam verò hoc postremum non est cujusque, & sæpe auditores sine facta tali Figura dictum aliquod in sinistram partem accipiunt, rarissimè istâ Figurâ utendum, & cautissimè, etiam cum videtur non offensura, loquendum est. Cic. pro Ligar. n. 6. *Vide quàm non reformidem; vide, quanta lux liberalitatis & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero, voces contendam, ut hoc pop. Rom: exaudiat. Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, judicio meo ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te.*

Concessio. XVII. Quid est *Concessio*? Resp. Est Figura, qua Orator causæ fiduciâ aliquid, etiam iniquum, pati, fateri, aut adversario concedere videtur. Cic. pro Rosc. Am. n. 73. *Esto parricidii causam proferre non potes; tametsi*

etsi statim vicisse debeo, tamen de meo jure decedam, & tibi, quod in alia causa non concederem, in hac re concedam, fretus hujus innocentiâ. Non quæro abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit, quæro, quomodo occiderit? Et pro Quinct. n. 37. *In hac re te, te, inquam, testem, Nævi, citabo. Annum, & eo diutiùs, post mortem C. Quinctii fuit in Gallia tecum simul Quinctius. Doce, te petiisse ab eo istam, nescio quam, innumerabilem pecuniam: doce, aliquando mentionem fecisse: dixisse, deberi: debuisse, concedam.* Pulchra est hæc Figura, si jungatur Ironiæ, sicut Cicer. 4. Verr. n. 46. *Verùm esto, eripe hæreditatem propinquis, da palæstritis, prædare in bonis alienis nomine civitatis; everte Leges, testamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum: num etiam patriis Heraclium bonis exturbare oportuit? qui simul ac profugit, quàm impudenter, quàm palàm, quàm acerbè, dii immortales, illa bona directa sunt!* Adhuc ornatior est, siqua concedamus, quæ negari non possunt, negemus verò alia, quæ magis ad rem nostram faciunt. Ita Cic. pro Flacco n. 9. Græcis concedit inesse scientiam, leporem sermonis, ingenium, facundiam; negat religionem & fidem in dicendis testimoniis. Formulæ Concessionis usitatæ sunt: *Esto, fac ita sit, patior, ut concedam, do tibi hoc, sit ita, sint sanè, non repugno, &c.*

XVIII. Quid est *Permissio*? Resp. Est Figura, qua rei cuipiam, vel auditoribus, vel bonitati causæ tantopere nos confidere ostendimus, ut eam permittamus alterius voluntati. Ex qua explicatione patet istius Figuræ à præcedente differentia. Cic. 4. Verr. n. 150. Permissio.

Verùm esto: alio loco de aratorum animo & injuriis videro. Nunc quod mihi abs te datur, id accipio, eos tibi esse inimicissimos, nempe ita dicis, propter decumas. Concedo. Non quæro jure, an injuriæ sint inimici. Quid ergo illæ sibi statuæ equestres inauratæ volunt, quæ populi Rom. oculos maximè offendunt, propter ædem Vulcani? Nam inscriptum esse video, quandam ex his statuam aratores dedisse. Si honoris causâ statuam dederunt, inimici non sunt, &c. Sin autem metu coacti dederunt, confiteâre necesse est, te in provincia pecuniam statuarum nomine per vim ac metum coëgisse.

Parenthesis. XIX. Quid est *Parenthesis*? Resp. Est brevis declinatio à proposito, qua sensûs alicujus continuationi quidpiam immiscetur, vel ad rem magìs explicandam, vel ad rationem alicujus dicti breviter reddendam, vel ad Affectum aliquem demonstrandum. Longior autem digressio non est Figura. Cic. 1. Phil. n. 31. *Hanc tu potuisti, Dolabella (magno loquor cum dolore) hanc tu, inquam, animo æquo potuisti tantam dignitatem deponere?*

Ironia. XX. Quid est Ironia? Resp. Est fictio totius voluntatis, qua aliud dicitur, aliud sentitur, ac innuitur. Differt à Tropo ejusdem nominis, quòd hic sit brevior & apertior. Cic pro Ligar. n. 1. *Novum crimen, C. Cæsar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuisse.* Et 7. Verr. n. 3. *Non possum dissimulare, Judices: timeo, ne C. Verres propter hanc virtutem eximiam in re militari, omnia, quæ fecit, impunè fecerit.* Prolixiùs à n. 25. & passim tota hac oratione.

XXI.

XXI. Quid est *Distributio*? Resp. Est Figura, qua totum aliquod in suas partes distribuitur, quarum singulis sua ratio subjungitur. Cic. pro Quinct. n. 1. *Quæ res in civitate duæ plurimùm possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia & eloquentia, quarum alteram vereor, alteram metuo: Eloquentia Q. Hortensii, ne me dicendo impediat, nonnihil commoveor; Gratia Sex. Nævij, ne P. Quinctio noceat, id verò non mediocriter pertimesco.* Illustrior est hæc Figura, si ipsi addatur tertia pars, ex singulis membris distributionis & additæ rationis eruta. Cic. pro Rosc. Am. n. 35. *Tres sunt res, quantùm ego existimare possum, quæ obstant hoc tempore Sex. Roscio: crimen adversariorum, & audacia, & potentia. Criminis confictionem accusator Erutius suscepit: audaciæ partes Roscii sibi poposcerunt: Chrysogonus autem is, qui plurimùm potest, potentiâ pugnat. De hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. Quid igitur est? non eodem modo de omnibus: ideo, quòd prima illa res ad meum officium pertinet; duas autem reliquas vobis populus Romanus imposuit. Ego crimen oportet diluam, vos & audaciæ resistere, & hominum ejusmodi perniciosam atq; intolerandam potentiam primo quoq; tempore extinguere atq; opprimere debetis.* Per hanc Figuram etiam insigniter possunt perfici Divisio & Subdivisio, de quibus L. 2. c. 5. actum. Distributio. Subdivisio.

XXII. Quid est *Deprecatio*, seu *Obsecratio*, vel *Obtestatio*? Resp. Est Figura, qua opem alicuius vehementer imploramus. Cic. pro Rosc. Am. n. 11. *Te quoq; magnopere, M. Fanni, quæso, ut, qualem te jam antea populo Rom. præbuisti, cùm huic idem quæstioni Judex præesses, talem te &* Deprecatio.

nobis & populo Romano hoc tempore impertias.

Optatio. XXIII. Quid est *Optatio*? Resp. Est Figura, quæ voti alicujus significationem præbet. Cic. pro Lege Man. n. 27. *Utinam, Quirites, virorum fortium atq; innocentium magnam copiam haberemus!*

Execratio. XXIV. Quid est *Execratio*? Resp. Est Figura, qua malum aliquod detestamur, aut alicui imprecamur. Cic. pro Dejot. n. 21. *Dii te perdant, fugitive, ita non modò nequam & improbus, sed fatuus & amens es.*

Epiphonema. XXV. Quid est *Epiphonema*? Resp. Est rei narratæ vel probatæ summa acclamatio. Cic. pro Sext. n. 86. *Hoc sentire prudentia est, facere fortitudinis; & sentire verò & facere perfectæ cumulatæq; virtutis.* Virg. 1. Æneid. v. 37.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Exclamatio. XXVI. Quid est *Exclamatio*? Resp. Est Figura, quæ alicujus compellatione Affectum doloris, miserationis, indignationis, &c. vel admirationem significat. Cic. 1. Catil. n. 2. *O tempora! ô mores! Senatus hoc intelligit, Consul videt, hic tamen vivit.* Et pro Ligar. n. 6. *O clementiam admirabilem, atq; omni laude, prædicatione, litteris, monumentisq; decorandam!* Istæ sunt Figuræ sententiarum ferè celebriores, quibus alias quasdam adnecto.

CA-

CAPUT XI.

De quibusdam aliis Figuris, aut modis Figurarum.

1. QUid est *Compensatio*? Resp. Cùm aliquid fatemur, aut concedimus, sed mox aliud æquè firmum opponimus. Vel cùm plura, quæ pro adversariis dici possent, breviter per partes proponimus, ac dein omnibus repudiatis meliùs concludimus. Cic. pro Sextio n. 102. *Hæc imitamini, &c. Est labor; non nego. Pericula magna; fateor. Multæ insidiæ sunt bonis; verissimè dictum est. Sed te id, quod multi invideant, multíq; expetant.* Et pro Quinct. n. 95. *Miserum est exturbari fortunis omnibus; miserius est injuriâ. Acerbum est ab aliquo circumveniri; acerbius est à propinquo. Calamitosum est bonis everti; calamitosius cum dedecore. Funestum est à forti atq; honesto viro jugulari; funestius ab eo, cujus vox præconio quæstu prostitit. Indignum est à pari vinci aut superiore; indignius ab indigniore atque humiliore. Luctuosum est tradi alteri cum bonis; luctuosius inimico. Horribile est causam capitis dicere; horribilius priore loco dicere.* Tertullianus. *O Christiane! ergastulo quidem adstringitur corpus; mens autem minimè. Colligata sunt membra; sed spiritus liber est. Hoc non per porticus aut per theatra spatieris, sed eam teras viam, quæ ad cœlum ducit. Quoties eam spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris. Nihil crus sentit in nervo, cujus animus in cœlo est.* S. Petr. Chrysol. Serm. 1. in cap. 9. Matt. Compensatio.

de

de Apostolis sic loquitur: *Sed in istis quantùm vilis mundanus videbatur aspectus, pretiosas tantùm animas Dei intuitus tunc videbat. Erant censu pauperes, sed innocentiâ locupletes; loco humiles, sed sanctitate sublimes; viles arte, sed simplicitate pretiosi; obscuri vitâ, sed vitæ merito perlucentes; labores communes, sed proposito singulares; addicti vigiliis, sed ad cœlestes victorias jam vocati; fluctibus mancipati, sed fluctibus non demersi; negati honoribus, sed ditati magis honoribus, non negati; injuriis dati, sed injuriis non relicti; captores piscium, sed piscatores hominum jam decreti.* S. Cyprianus L. 3. Epist. 25. vel juxta alios 77. *Non fovetur in metallis lecto & culcitris corpus; sed refrigerio & solatio Christi fovetur. Humi jacent fessa laboribus viscera; sed pœna non est cum Christo jacere. Squalent sine balneis membra situ & sorde deformia, sed spiritaliter intus abluitur, quod foris carnaliter sordidatur. Panis illic exiguus; at non in pane solo vivit homo, sed in sermone Dei. Vestis algentibus deest; sed qui Christum induit, & vestitus abundanter, & cultus est. Semitonsi capitis capillus horrescit; sed cùm sit caput viri Christus, qualecunq; caput illud deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas detestabilis & tetra gentilibus quasi splendore pensabitur. Sæcularis hæc & brevis pœna, quàm clara & æterni honoris mercede mutabitur.* Sed Compensatio revocari potest ad Concessionem vel Subjectionem.

Interpretatio 11. Quid est *Interpretatio*? Resp. Est alicujus dicti aut facti ad mentem nostram expositio. Cic. 6. Verr. n. 49. *Superbum est enim, & non ferendum, dicere prætorem in provincia homini honesto, locupleti, splendido: vende mihi vasa cælata. Hoc est enim dicere: Non es dignus tu, qui habeas, quæ tam bene facta sint; meæ dignitatis ista sunt. Tu dig-*

nior,

gnior, Verres, quàm Calidius ? Eodem modo in sacris concionibus dicta vel facta, nominatim S. Scripturæ, interpretamur, his aut similibus formulis: *Quasi dicat. Hoc est. Vel, ut ego quidem arbitror, &c.*

III. Quid est *Congeries* ? Resp. Est exornatio, qua multæ res, aut verba, aut argumenta, aut exempla coacervantur, ut oratio fiat volubilior ac concitatior. Cic. pro Mil. n. 70. *Vide, quàm sit varia vitæ commutabilisq; ratio, quàm vaga volubilisq; fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ simulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates.* Rerum Congeriem habet idem pro Cœlio n. 12. *Erant apud illum illecebræ, &c.* De Congerie Argumentorum dixi L. I. c. 6. n. 4. Congeriem exemplorum facit Cic. in Pis. n. 58. *O stultos Camillos, &c.* & aliàs sæpius. Congeries.

IV. Quid est *Oppositio* ? Resp. Cùm dictum vel factum alterius contrariis aliorum dictis aut factis refellimus. Cic. pro Lege Man. n. 11. *Majores vestri sæpe, mercatoribus ac naviculatoribus injuriosiùs tractatis, bella gesserunt: vos, tot civium Rom. millibus uno nuntio atq; uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati, quòd erant appellati superbiùs, Corinthum Patres vestri, totius Græciæ lumen, extinctum esse voluerunt; vos eum Regem inultum esse patiemini, qui Legatum populi Rom. consularem, vinculis, ac verberibus, atq; omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium Romanor. imminutam non tulerunt, vos vitam ereptam negligetis? Jus Legationis verbo viola-* Oppositio

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

violatum illi persecuti sunt : Vos Legatum populi Rom. omni supplicio interfectum relinquetis? Habet hic ornatus frequentem usum in sacris etiam orationibus.

Commoratio.

v. Quid est *Commoratio*, sive *Expolitio*? Resp. Est, cùm eadem sententia tamdiu variis verbis & modis proponitur, donec sub oculos penitus subiiciatur. Cic. 2. Phil. n. 54. *O miserum te, si intelligis, miseriorem, si non intelligis, hoc litteris mandari, hoc memoriæ prodi, hujus rei ne posteritatem quidem omnium sæculorum unquam immemorem fore, Consules ex Italia expulsos, cúmque his Cn. Pompeium, qui imperii P. R. decus ac lumen fuit: omnes consulares, qui per valetudinem exequi fugam illam cladémq; potuissent, prætores, prætorios, tribunos plebis, magnam partem senatûs, omnem sobolem juventutis, unóq; verbo Remp. expulsam atq; exterminatam suis sedibus.* Eódem spectant, quæ habet pro Rosc. Am. n. 112. Item 1. Verr. n. 2. & 6. Rursus 2. Agr. n. 8. pro Sext. n. 47. pro Cœlio n. 39. pro Marcello n. 5. & sæpius alibi.

Incrementum.

vi. Quid est *Incrementum*? Resp. Est exornatio, qer quam in rebus augendis semper aliquid majus, in minuendis semper aliquid minus sequitur in oratione. De hac quoque jam aliquid dictum L. 1. c. 6. n. 4. Et est re ipsa species Gradationis. Cic. 7. Verr. n. 169. *Facinus est vinciri civem Romanum, scelus verberari, propè parricidium necari; quid dicam in crucem tolli? Verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest. Non fuit his omnibus iste contentus. Spectet, inquit, patriam: in conspectu Legum libertatisq; moriatur. Nam tu hoc loco Gavium non unum ho-*

hominem, nescio quem, civem Rom. sed communem libertatis & civitatis causam in illum cruciatum & crucem egisti. Jam verò videte hominis audaciam. Nónne illum graviter tulisse arbitramini, quòd illam civibus Rom. crucem non posset in foro, in comitio, non in rostris defigere? quod enim hic locus in provincia sua, celebritate simillimum, regione proximum potuit, elegit. Monumentum sceleris, audaciæq; suæ voluit esse in conspectu Italiæ, vestibulo Siciliæ, prætervectione omnium, qui ultro citróque navigarent. Si hæc non ad cives Romanos, non ad aliquos amicos nostræ civitatis, non ad eos, qui populi Rom. nomen audissent: denique si non ad homines, verùm ad bestias, aut etiam, ut longiùs progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa & scopulos hæc conqueri & deplorare vellem, tamen omnia muta, atq; inanima, tanta & tam indigna rerum atrocitate commoverentur. In eadem Orat. n. 116. *Levia sunt hæc, &c.*

VII. Quid est **Comminatio**? Resp. Est admonitio cum prædictione futuri mali, qualem habet Cic. pro Mil. n. 69. *Erit, erit illud profectò tempus, & illucescet aliquando ille dies, cùm tu, salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis, qui quàm crebrò accidat, experti debemus scire, & amicissimi benevolentiam, & gravissimi hominis fidem, & unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres.* **Comminatio.**

VIII. Quid est **Comparatio**? Resp. Est duarum rerum vel personarum facta oppositio ad concitandos Affectus Miserationis, Indignationis, Odii, Æmulationis, &c. Cic. pro Rosc. Amer. n. 13. *Accusant ii, qui fortunas hujus invaserunt; causam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accusant ii, quibus occidi patrem* **Comparatio.**

trem Sex. Roscii bono fuit; causam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, verùm etiam egestatem. Accusant ii, qui hunc ipsum jugulare summè cupierunt; causam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum judicium cum præsidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur Deniq; accusant ii, quos populus poscit; causam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria cæde restat.

IX. Quæ sunt alia hujusmodi? Resp. 1. Pœnitentia dicti. Cic. 2. Catil. n. 17. *Sed cur tam diu de uno hoste loquimur, & de eo hoste, qui jam fatetur, se esse hostem?* 2. Cùm fingimus, nos quærere, quid sit dicendum? an nihil restet? &c. Ut: *Quid reliquum est? Nanquid aliquid eorum omisi, de quibus acturum me promiseram?* 3. Cùm velut aliqua ignoramus. Ut: *Quem tot scelerum auctorem dicemus? Invenire profectò difficile est.* 4. Cùm deponimus aliquid apud memoriam auditorum, & post aliqua interposita reposcimus. Ut: *Retinere lubeat, quæ dico, non modicam lucem sequentibus affusura.* Et post aliqua interjecta: *Recordamini modò illorum, quæ antea proposui, &c.* 5. Ciaston & Chiasmus vocatur, quando duæ sententiæ inter se convertantur. Ut: *Est Doctorum sanctissimus, & Sanctorum Doctissimus.* Sed hæc ad aliquam ex supra recensitis Figuris omnia reduci posse, facilè apparebit perpendenti; utì etiam eæ figuræ pleræq; quas ultra prædictas aliqui enumerant, modi tantùm sunt expositas celebriores Figuras

guras variandi. Sufficere istæ possunt, quæ si non nudè, nec semper eodem modo proponantur, videbuntur & ipsæ plures, novæ, & à seipsis, aliâ formâ exhibitis, diversæ. Notandum denique, supradictis Figuris non utendum promiscuè, cùm aliquæ illarum serviant ad docendum, aliæ ad delectandum, aliæ ad movendum, quemadmodum apud nonnullas annotavi.



LIBER IV.

De quarta parte Eloquentiæ, seu de Memoria.

CAPUT I.

De natura, utilitate, & exercitatione Memoriæ.

Memoria quid.

I. QUid est Memoria? Resp. Jam initio dixi, quòd sit singularum orationis partium firma & ordinata recordatio. Itaque non sufficit Oratori tantùm confusè scire, quid domi cogitârit aut scripserit, sed necesse est, ut singulas partes eo ordine, quo scripsit, sine metu perturbationis in memoria teneat, & ex eadem simili ordine possit reddere ac proferre.

Quotuplex.

II. Quotuplex est Memoria? Resp. Duplex. *Artificialis*, qua partes singulæ certis quibusdam imaginibus & locis, certo intervallo ac ordine per artem affiguntur. Et *Naturalis*, quæ est una ex potentiis, ut vocant, animæ, vis scilicet recordandi.

Artificialis.

III. Quid sentiendum de Memoria artificiali? Resp. Illud artificium & operosum est, & multis inutile, non paucis etiam noxium.

IV.

IV. Quid prodest Memoria naturalis? Resp. Naturalis. Plurimùm, si prompta, facilis, & expedita sit. Cùm enim orationes non legantur coram auditoribus, sed ex memoria dicantur, hujus usus & necessitas ingens est. Deinde meliora sunt, quæ diligenter excogitata, scripto, & ex hoc memoriæ mandata pronuntiantur, quàm quæ ex tempore sine accurata præparatione prævia efferuntur: præterquam enim, quòd ea quorundam præsidentia & vanissima jactantia, in sacris præsertim orationibus, de auxilio divino sibi nihil possit promittere, à quo tamen Orator & fructus ex auditoribus exspectatus pendet, destituitur ille modus sine præparatione dicendi usu prudentiorum. Neque allegetur longa experientia & in dicendo exercitatio, quæ videtur his extemporaneis oratoribus patrocinari: nam etiam exercitatissimi sua scribunt, & quæ scripserunt memoriæ mandant. Imò quò quis magis in dicendo est versatus, eò diligentiùs se parabit, cùm usus ipse doceat, cultiora suum ornatum debere tempori, & licere in illo discendi otio quædam addere, demere, mutare, quæ in attenta & iterata repetitione minùs aptè congruere deprehenduntur. Vicissim qui ex tempore dicunt, plerumque parùm judicata, non satis digesta, malè ordinata in medium afferunt. Accedit, quòd memoriæ tradita ob ipsum spatium, quo ei im-

imprimuntur, meliùs expolita, venuſtiùs etiam enuntientur. Iiſdem longè citiùs atq; diſtinctiùs occurrunt multæ rerum & verborum ſpecies, quibus oratio copioſior, auditoribus gratior, & ad flectendos animos potentior efficitur.

Ex ſcripto diſcendum.

v. Utrum duorum præſtat, orationem ex ſcripto, an ex ſola meditatione memoriæ imprimere? Reſp. Utique firmiùs, ordinatiùs, & certiùs hærent, quæ ex ſcripto diſcuntur. Apud illos nominatim, quos ſpecies locales adjuvant, minus periculum eſt, ne inter dicendum perturbentur, cùm phantaſia interim chartæ inhæreat, dum lingua loquitur, ſciántque tales, quid ſtatim ſequatur, quantum ſuperſit, ut quocunque caſu poſſint aliqua contrahere vel omittere, ſi neceſſe ſit. Sed de hoc capite ſequente.

An de verbo ad verbum?

vi. Eſtne conſultius ſcripta de verbo ad verbum, an de ſenſu ad ſenſum memoriæ tradere? Reſp. Prius illud longè operoſius, nec cujuſque, & fortè periculoſius eſt, ne ſcilicet Orator, qui non eſt inſtructus fideliſſimâ & firmiſſimâ memoriâ, hæreat, ſi ſingulis verbis ita ſit adſtrictus, ut uno vel paucis ipſum fugientibus, neſciat, quid ſequatur. Quiſque ſuum captum & uſum conſulat. Ea tamen, quæ ex SS. Litteris aut aliis Auctoribus citantur, hauddubiè de verbo ad verbum diſcenda ſunt. Quibus natu-

ra-

ralis aliqua facundia verborum affatim suppeditat, aut longus dicendi usus opitulatur, rem habebunt expeditiorem, si de sensu ad sensum sua discant. Advertitur in iis, qui verbis strictè nimis alligantur, nescio quæ, occulta solicitudo, trepidatio, & languor aliquis in actione, præsertim verò in oculis: à quo incommodo posteriores illi sunt liberiores.

CAPUT II.

De adjumentis & impedimentis Memoriæ.

1. QUomodo Memoriæ vis potest augeri, & velut acui? Resp. Quibus à natura impeditior memoria obtigit, nullo faciliùs medio illam juvabunt, quàm quotidiana ejusdem exercitatione, saltem breve aliquid addiscendo. Quo in conatu necessario consultum videtur, sibi quædam ex SS. Litteris discenda sumere, quæ in concionibus crebriùs possunt occurrere. Sicut enim memoria etiam felix defectu exercitii sensim hebescit, ac velut rubiginem induit, ita quæ durior est, ipso usu expolitur & roboratur. Sunt, qui pro ea corrigenda quasdam medicinas præscribunt; sed nescio, an hæ sine exercitatione multùm conducant.

Memoriam juvant.

II.

Eidem obsunt.

II. Quid nocet Memoriæ? Resp. 1. Negotia & curæ pungentes, quibus in anteceſſum ſe oportet expedire. 2. Libertas & evagatio ſenſuum inter addiſcendum. 3. Vehementes Affectus Iræ, Triſtitiæ, &c. 4. Vinum & aliæ potiones calidæ, minùs temperanter hauſtæ. 5. Quæcunque cerebrum magis exſiccant: humidius enim cerebrum ad recordandum aptius dicitur. Certè quoſdam nimio tabaci uſu illius humoribus exhauſtis minùs deinceps memoriâ valuiſſe conſtat. 6. Siniſtra valetudo. 7. Cibi quidam crudiores, & indigeſti, unde craſſior vapor in cerebrum aſcendens memoriam obfuſcat. Idcirco proderit attendere, quæ nobis aliàs impedimento fuiſſe animadverterimus. 8. Confuſio & inconſtantia, dum huc illuc tranſſilimus, nec ordine progredimur diſcendo.

Media faciliùs aliqua diſcendi.

III. Qui ſunt modi facilè aliqua mandandi memoriæ? Reſp. Primarium medium ad complanandam Memoriæ difficultatem eſt obſervatio ordinis, non ſolùm in exercitio ipſo Memoriæ, quod ad finem præced. num. monui, ſed præcipuè in oratione componenda. Quiſque ſibi ejuſdem ſingulas partes ita coagmentet, ut una trahat alteram; argumenta debito ſibi ordine ſtatuantur, & difficultas hac in re magna ex parte ſublata eſt. Etverò hic ordo, ſi ſequi placeat modum, L. 1. c. 9. n. 5. & ſeq. indicatum

catum, atque ampliùs L. 6. exemplis explanandum, jam erit confectus, continuus, & tam necessariò partes sequentes post se trahens, ut videatur memoria, nisi in rebus parvis, aliquem non posse destituere. Modò enim retineantur in memoria Argumentationes, earum partibus serie quadam velut intra cancellos inclusis oratio sine metu in rebus majoribus aberrandi ad finem usq; decurret. Quidquid tamen de hoc sit, suadeo 2. ne memoriæ commendando orationem, quisquam conetur id facere identidem illam à principio ad finem usque legendo: excident prima, dum leguntur postrema, & vicissim. Potiùs igitur per partes parvas discenda sumatur, v.g. initio Exordium, aut ejus pars, & ita deinceps; non fiat progressus ad alias, donec prior possideatur. 3. Dum posteriora condiscuntur, nonnunquam animo recurrendum ad priora, ut species ordine imprimantur & connectantur, hácq; ratione quis seipsum periclitetur, quid magis, quid minùs firmiter teneat. 4. Multos juvabunt species locales. Quare inter scribendum, quoties nova res occurret, v. g. aliud Argumentum, linea inchoëtur ab initio, eíq; numerus vel aliud signum adscribatur. Ob eandem causam quæ ex SS. Litteris vel aliis libris citantur, proderit lineâ subducere. 5. Quod discitur leni voce pronuntietur. Ratio est,

quia memoria pendet à sensibus, & eò tenaciùs inhærebit, quò per plures sensus aliquid fuerit acceptum. Si igitur legendo videatur, & dicendo audiatur, stabiliùs imprimetur. 6. Si quis speciebus localibus adjuvetur, is, ex quo scripto discere cæpit, ex eodem pergat, ne, si describendo mutetur locus, species confundantur ac turbentur. 7. In ediscendis illis, quæ verbatim alleganda sunt, ut quæ ex Auctoribus afferuntur, morâ & attenta repetitione opus est, ut verborum series ordine suo in memoria cohæreat. 8. Non est etiam vana observatio temporis, quo quis discat. Quintiliano & experientiæ credamus. Optimum est quod somnum præcedit, & statim sequitur. Quod pridie mediocriter tenebatur, post quietem repetitum plenè possidere brevi incipiemus. Recens memoria plerumq; infidelis est; per quietem sive ob remissionem laboris, sive ob quamcunque aliam causam, velut concoquitur, & matureſcit, quod hausimus. 9. Sed facilitatem tardioribus etiam ingeniis sensim tribuit quotidianus memoriæ cultus, à parvis incipiendo, & paulatim, additis pluribus, ad majora progrediendo; quod medium memoriæ vires, ut labor assumptus, & indies mediocriter auctus, vires corporis, auget.

LI-

LIBER V.

De quinta parte Eloquentiæ, seu de Pronuntiatione.

CAPUT I.

De Pronuntiatione in genere.

Pronuntiatio quid.

1. QUid est Pronuntiatio? Resp. Vulgò vocatur Actio, éstque Vocis ac Gestûs in proferenda oratione cum dignitate moderatio. Cum dignitate, inquam, seu decentia: neq; enim histrionicæ gesticulationes, incomposîti motus, incultæ corporis constitutiones, inconditæ vociferationes, quæ quidem à sacris pulpitis longè debent abesse, Pronuntiationis nomine veniunt. Modus autem Actionis ex optimorum Oratorum frequenti consideratione discendus est.

Ejus utilitas.

II. Quid confert orationi Pronuntiatio sive Actio? Resp. Cicero L. 3. de Oratore n. 31. *Actio in dicendo una dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest: mediocris, hac instructus, summos sæpe superat. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cùm rogaretur, quid in dicendo esset primum, huic secundas, huic tertias.* Et in Oratore ad Brutum n. 10. *Est enim actio quasi corporis quædam eloquentia, cùm constet è voce atq; motu.*

Varietas. III. Estne aliqua actio, quæ universaliter omni orationi conveniat? Resp. Nulla ratione; utì rursum Cic. L. 3. de Orat. n. 31. *Nam & causæ capitis alium quendam verborum sonum requirunt, alium rerum privatarum atq; parvarum; & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud judicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud objurgatio, aliud disputatio, aliud historia desiderat. Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an judices: frequentes, an pauci, an singuli: & quales ipsi quoq; oratores, qua sint ætate, honore, auctoritate, debet videri: tempus pacis, an belli; festinationis, an otij. Itaq; hoc loco nihil sanè est, quod præcipi posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris & tenuioris, & item illius mediocris, ad id, quod agimus, deligamus. Ornamentis iisdem uti ferè licebit, aliàs contentiùs, aliàs summissiùs: omníque in re posse, quod deceat, facere, artis & naturæ est; scire, quid, quandóq; deceat, prudentiæ.*

CAPUT II.

De prima parte Pronuntiationis, seu de moderatione vocis.

Vox sit sonora, I. QUalis universim debet esse vox? Resp. Cic. L. 3. deOrat. n. 40. *Vocis sonus est ipse moderandus. Nolo exprimi litteras putidiùs, nolo obscurari negligentiùs, nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata & an-*

anhelata graviùs. Itaque vox ſit 1. *Sonora*, & ſaltem tam fortis, ut à quovis auditore poſſit bene percipi in eo ſpatio, in quo dicitur. 2. *Nitida*, hoc eſt, non aſpera; nec contrà ſubſurda, cava, tenuis, fracta: non rudis, immanis, rauca, ſtrepera: nec ſit varia, quæ ſcilicet dicenti non ſemper pareat; non pinguis, non mollis & effæminata, non per nares media ex parte extruſa, non denique parùm durabilis, & receptu difficilis. 3. *Articulata*, ſive quæ ſingulas ſyllabas, præſertim poſtremas, diſtinctè exprimat, quas tamen non pauci cum magna moleſtia auditorum aut abſorbent, aut deformiter contrahunt. Ut autem neceſſaria eſt diſtinctio verborum, ita permoleſta illa quorundam lentitudo, ſingulas ſyllabas, & propemodum litteras computantium, & odiosè in aures annumerantium. Neque verba tantùm decet eſſe articulata, ſed ſermo totus ita ſit diſtinctus, ut finito Inciſo aut Membro nonnihil breviùs, aliquantulum verò longiùs finita Periodo aut ſenſu vox interquieſcat. Hæc ſeparatio efficit, ut mediocris vocis Orator meliùs intelligatur, quàm clamoſus alius, qui tali moderatione non utitur. Legantur quæ Cic. L. 3. ad Heren .n. 21. & 22. docet. Inter alia habet: *Intervalla vocem confirmant: eadem ſententias concinniores diviſione reddunt, & auditori ſpatium cogitandi relinquunt.* 4. Nec nimiùm diducatur os, nec contrahatur.

nitida,

articulata.

hatur. Prius qui faciunt, inconditas voces evolvunt; alterum vocem intercludit. 5. Neque tarda sit loquela, neque præceps. Illud fastidium creat auditoribus, hoc juvenem sapit, qui memoriam jactat, nec auditoribus satis spatii permittit, ut possint dicentem cogitando & intelligendo assequi. 6. Vox non nimiùm extollatur, aut deprimatur, sed loco se accommodet. Sunt tamen, in quibus altiùs loqui, nihilominus non vociferari, licet, orationis partes; sunt, quæ remissiorem vocem exigunt, utì dicetur. Nimius clamor ipsum dicentem ita fatigat, ut in fine, quando potentior esse deberet oratio, viribus destituatur. Sit itaque vox urbana, suavis citra lenocinium, & affectationem, ut cum voluptate audiatur. 7. Cavendum, ne ita dicat, ut canere potiùs videatur. Maximè ne ita certi tractûs ac longitudinis tonos assumat, ut iidem semper recurrant, &, sive sensus finitus sit, sive medius, tonus idem ab initio repetatur. Quo nescio, an quidquam sit magìs tædiosum & insulsum. Provenit hic defectus à mala consuetudine, quam studiosè corrigere convenit. Est quidem tenuis aliquis veluti cantus, seu vocis flexus, in Interrogatione, Exclamatione, &c. Sed de isto hîc non est sermo. 8. Vitandum denique vitium, quod *Monotonia* vocatur, quo scilicet eodem prorsus vocis sono, sine ulla variatione, oratio con-

continuatur, quod mirè dicentem & audientem fatigat, omnémque ornatum Figuris, & vim orationi, adimit. Quid, quòd ipsa natura nos edocet pro diversitate rerum aliter atque aliter vocem inflectere? Alio utique modo proferimus res jucundas, alio tristes; alio loquimur irati, alio supplices, alio consolantes, alio corripientes; alio petimus veniam, alio minitamur, &c. Quò propiùs verò sermo accedit ad naturam, eò est gratior; quò magìs ab ea recedit, eò magìs offendit. Sed hæc distinctiùs explicanda sunt.

Quando varianda.

II. Pro quarum rerum diversitate vox varianda est? Resp. 1. Pro diversitate partium orationis. 2. Subjecti, de quo loquimur. 3. Figurarum. 4. Affectuum. 5. Verborum magìs aut minùs consonantium. 6. Periodorum. Hæc nunc singillatim prosequamur.

Qualis in variis partibus orationis.

III. Quæ vox variis orationis partibus convenit? Resp. *Exordium* pronuntiatur voce moderatâ, gravi, tranquillâ & modestâ. Mirantur auditores Exordium clamosum. Demissiùs prolatum eosdem languidos facit. Modestia dicentis, tanquam reverentiæ signum, in principio exhibitum, ipsos conciliat. Cic. L. 2. de Orat. n. 317. *Neq; est dubium, quin Exordium dicendi vehemens & pugnax non sæpe esse debeat.* Et L. 3. ad Heren. n. 22. *Utile est ad firmitudinem vocis, sedata vox in principio.*

cipio. Quid insuavius, quàm clamor in Exordio. Non negat tamen, Exordia, quæ aliquando ex abrupto cum vehementiore aliquo Affectu sumuntur, acriorem etiam vocem postulare. *Narramus* voce clara & aperta, semper tamen conformi rerum naturæ, quas recensemus. *Confirmamus* voce concitatiore, firma & mascula, ad majus pondus rationibus addendum: variâ tamen pro diversitate Figurarum, & Affectuum, de quibus postea. *Peroratio* exigit vocem excitatam, vividam, & vehementem; in hac enim parte contendit Orator corda movere & vincere. Cic. L. c. n. 21. *Ex uno spiritu continenter multa dicere in extrema convenit oratione.* Et n. 213. *In genere dicendi, quod ad vitam & mores accommodatur, & principia tarda sunt, & exitus tamen spissi & producti esse debent.*

In diversis subjectis.

IV. Quæ diversa subjecta, de quibus loquimur, decet? Resp. In precibus sit lenis & demissior. In suasionibus, monitionibus, pollicitationibus, & consolationibus gravis. In hortationibus fortis. In exponendo recta & æquabilis. In operibus mirabilibus naturæ & divinæ potentiæ cum gravitate & sono admirationis. In laude boni plena, elevata, & cum sono approbationis, atque æstimationis. In vituperio mali fortis, commota, cum sonitu indignationis & horroris. In jucundis & felicibus clara & hilaris. In adversis & lugubribus gravis & querula. In sub-

sublimibus magnifica. Tenera & suavis, dum sermo est de Bonitate; vehemens contrà & minax, cùm de Justitia & pœnis divinis aut enormitate peccati; querula cùm de miseriis peccatorum agimus, Quia tamen inter has ipsas res una major est alterâ, v.g. Parricidium Furto, mirabilia cœli mirabilibus terræ, &c. rei magnitudinem vocis quoque modus prudenter sequatur.

v. Quæ vocis mutatio in Figuris assumitur? Resp. Longum esset singulas prosequi. Præcipuarum variatio talis est. *Interrogatio* habet naturalem quendam sonum & inflexionem, plerumque circa finem, ab experientia notiorem, quàm ut explicari debeat. In leniore tamen Interrogatione leniùs, in acriore acriùs sonat. Eodem modo *Exclamatio* & *Optatio* sonum seu accentum habent, à natura nobis cognitum. *Antitheses* petunt duos sonos distinctos, in priore contrario magis elevatum; in altero ipsi oppositio nonnihil demissiorem. *Apostrophe* metitur vocem juxta suum subjectum, ut num. præc. de admonitione, hortatione, &c. dictum est. *Communicationis* par ferè est ratio. *Subjectionis* prior pars tenet modum Interrogationis; altera profertur semper voce quadam demissiore. *Prosopopœia*, utì sermonem alterius introducit, ita fit voce taliter mutata, ut appareat, Oratorem loqui non suo, sed alterius nomine; idque pro diversitate subjecti In Figuris.

subjecti variè, v.g. in precibus demissâ, in exprobatione ingratitudinis mixtâ ex querula & irata. Per hoc non doceo, imitandam esse in omnibus vocem, v. g. puero aut fœminæ naturalem. *Instando* & *urgendo* adversarium vox est gravis & acris. In *Obsecratione* tenera & ad motum comparata. *Suspensio* & *Dubitatio* habent in propositione & remotione modum supra in subjectione indicatum; conclusio verò earundem voce firmiore enuntiatur. Et sic de reliquis, quarum omnium pronuntiandi modos facilius est discere observando bonos actores, quàm præcepta legendo.

In Affectibus. VI. Quomodo Affectus vocem variant? Resp. Neque hîc multis præceptionibus opus est, sed unicâ. Vocis modus imitetur cujusque Passionis, quam Orator excitare molitur, naturam. Ea nempe ratione vocem inflectat, qua inflectunt tali Passione à natura agitati, aut eam alteri imprimere volentes. Hanc rationem, quod suo loco monui, faciliùs Orator assequetur, si seipsum priùs conetur commovere illo Affectu, ad quem alios cupit incitare. Ita fiet, ut sponte sua in *Ira* sit usurus voce acutâ, incitatâ, & crebro incidente; in *Tristitia* fractâ; in *Commiseratione* flexibili; in *Timore* dejectâ & hæsitante; in *Gaudio* tenerâ, effusâ, hilari; in *Amore* affabili & amœnâ; in *Odio* asperâ & severâ; in *Spe* nonnihil elatâ & firmâ; in ostensione

stensione *Doloris* ob acceptam injuriam, elevatâ, vehementi, & ardenti; & ita in reliquis. Cic. L. 2. de Orat. n. 214. *Illud autem genus orationis non cognitionem judicis, sed magis perturbationem requirit, quam consequi nisi multa, & varia, & copiosa oratione, & simili contentione actionis nemo potest. Quare qui aut breviter aut summisse dicunt, docere judicem possunt, commovere non possunt, in quo sunt omnia.*

VII. Quid in pronuntiatione nonnullorum verborum servandum? Resp. Verba magnifica, & majorem in se sublimitatem continentia, efferantur cum aliqua gravitate & magnificentia, cujusmodi sunt: *Admirabilis, Immensus, Augustus, Incredibilis, Sublimis, Majestas, Omnipotentia, &c.* Particulæ affirmativæ firmiter, ut: *Profectò, certè, Enimvero, necessariò, absolutè, infallibiliter, violenter, &c.* Verba malum aliquod significantia cum accentu tristi, qualia sunt: *Infelix, Funestus, Lugubris, Deplorandus, Desperatus, &c.* Quæ ad vituperium referuntur, voce elatâ, comotâ, & velut horrente, ut: *Execrabilis, Atrox, Immanis, Enormis, Monstrosus, sacrilegus, &c.* In quibusdam verbis.

VIII. Qualiter variatur vox in Periodis? Resp. Periodus inchoëtur nonnihil profundiore voce (non tamen semper eodem modo, ne superiùs rejecta cantilena prodeat) quæ sensim se extollat, donec Periodus sit absoluta. In fine diligenter curetur distincta expressio postremæ syllabæ, maximè In Periodis.

mè si contineat vocalem, quæ propter obscuritatem aut teneritudinem minùs soleat percipi, quales sunt : I. U. E. Idque potissimùm observandum, quando adsunt frequentes auditores : docet enim experientia, quòd, quò plures adsunt, eò vox, & nominatim ultima syllaba, debiliùs ad aures accidat, ita quidem, ut, quando putat Orator, se ad hoc incommodum prævertendum ultima nimis durè exprimere, nihilominus vox non fortior proveniat, quàm in ordinario sermone coram paucis, nisi valde robusta sit, aut resonans. Periodus juxta Ciceronem non deberet esse longior, quàm ut uno spiritu commodè possit pronuntiari. Si tamen inter loquendum, aut antea, sentiat, aliquam esse, quæ extensionem spiritûs excedat, inter dicendum sic respiret, ut non penitus interrumpat; sed potiùs ad finem Membrorum vel Incisorum brevia recipiendi spiritûs intervalla, quæ minùs adverti possint, captet.

Defectus vocis quomodo juvetur.

IX. Quomodo curari potest naturalis defectus vocis? Resp. *Debilem* multi juvant se circa renes cingulo latiore constringendo: *Brevem*, id est minùs durabilem, sibi aptando Periodos minùs longas, aut ante concionem sumendo aliquid, quo confortentur, aut interquiescendo; quod ultimum tamen multis parùm probatur: *Raucam* certis liquoribus, gutturi deleniendo idoneis. Referre

ferre hîc juvat ex Quintil. L. 11. c. 3. quomodo Græcæ Eloquentiæ princeps Demosthenes ſuos hujuſmodi defectus correxerit. Laborabat linguâ blæsâ & lentâ; privatim loquens calculo in os ingeſto volubiliorem, & ad voces articulandas magìs flexilem reddebat. Brevem halitum emendavit, aliquas Periodos pronuntiando, dum celeriter colles arduos conſcendebat. Debilitatem vocis roborabat declamando orationes ad littus maris æſtuantis, ubi ſonitum fluctuum ſua voce ſuperare contendebat. Geſtum verò ſtans ante prægrande ſpeculum ordinabat. Ita alii conſtrictis renibus in denſiore ſylva declamando ſuam vocem ad juſtam firmitatem perduxerunt.

CAPUT III.

De ſecunda parte Pronuntiationis, ſeu de moderatione Geſtûs.

Quid Geſtus.

1. QVid eſt Geſtus? Reſp. Eſt oris, totiúſque corporis decens motus, & ad ea, quæ dicuntur, apta conformatio.

Obſervanda univerſim.

11. Quid in compoſitione totius corporis obſervandum? Reſp. Status ipſius ſit erectus, h. e. non antrorſum incurvus, non ad latus inclinatus, multò minùs cathedræ inurbanè innixus; ſed virilis & gravis, non tamen ita, ut ſuperbiam aliquam ſapiat. Itaque levitas

vitas motûs, & nimia quædam vivacitas actionis dedecet, histrionibus magis propria, quàm sacris Oratoribus. Vice versa corpus non sit rigidum & instar statuæ immobile, sed si motu aliquo sit opus, fiat is cum decentia.

III. Quid universim in Gestu observandum? Resp. 1. Varietas, sicut in voce. 2. Ne quid nimium sit, aut nimis exquisitum, aut, ut vocant, affectatum. 3. Quicunque motus, cùm sit institutus, ut Oratorem juvet, non aliter est adhibendus, quàm ut animi motus indicet, aut rem, quæ solis verbis non satis exprimeretur, meliùs oculis ipsis subiiciat.

Speciatim circa caput,

IV. Quid de *Capite* præcipitur? Resp. 1. Non abjectè & seniliter propendeat. 2. Non superbè sit erectum. 3. Non inclinetur in latus, nisi ad languorem exhibendum. 4. Non juveniliter, nec frequenter, moveatur, gyretur, aut agitetur; sed gestum manuum cum aliqua gravitate subsequatur. 5. Confirmamus annuendo. Indignamur caput avertendo. Negamus leniter abnuendo. Dubitamus & admiramur illud paululum erigendo.

Vultum & oculos,

V. Quomodo *Vultus*, præsertim *Oculi*, actionem juvant? Resp. Vultus argumento est conformandus, ita ut in rebus tristibus sit subtristis, in lætis exporrectus, in ira nonnihil severior, ad amorem exhibendum blan-

blandior; desiderium & spem quadam aviditate, minas torvitate, &c. præseferat. Sed cùm oculi sint animi indices, vultus autem ejus imago, dominatus actionis est in oculis, quorum demissione languor, severitate ira, blanditiis amor, dejectione tristitia, aliíque Affectus alia eorundem constitutione omnium optimè exprimuntur. Quos Affectus si Orator, ut dixi, in seipso priùs excitet, facilè sine præceptis, ipsa natura docente, oculos rebus conformabit. Cic. L. 3. de Orat. n. 221. *Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum. Animi est enim omnis actio, & imago animi vultus est, indices oculi.* Quare ridiculi sunt, qui vultu semper plano & eodem, oculíque vix apertis, aut in unum locum perpetuò defixis, orationem non tam agunt, quàm recitant. Nec dedecet, quamvis facies ordinariè obvertenda sit potiori parti auditorum, aliquando huc, aliàs illuc, ubi minor est frequentia, respicere.

VI. Quid de *Collo, Humeris, Brachiis, & Pedibus* dicendum? Resp. Collum nec contrahatur, nec protendatur, nec rigidum sit & immobile. Humeros jactare, attollere, deprimere, contrahere vitiosum est. Brachia ne deorsum indecorè pendeant. Cubiti nunquam innitantur cathedræ. Non nimis liberè brachia jactentur, sed maneant prope corpus, quando remissè agimus; in contentioni- Collum, &c.

tionibus liberiùs nonnihil possunt proferri. Sicut bene institutorum est, sinistro non uti, nisi ubi solum dextrum non sufficit, ita in cathedra credatur idem servandum, ubi nihil debet apparere, quod cultiorum oculos possit offendere. Percutere suggestum, aut pedes supplodere, res est, quæ hac ætate improbatur, licèt olim in usu fuerit.

Manus, VII. Quæ est actio *Manûs*? Resp. Etiam manûs magna est actio, non tamen assidua, quod quidam ineptè factitant. Circa eam hæc ferè præcipiuntur. 1. Dextrâ ferè solâ in agendo utimur; sinistrâ non nisi tunc, quando vel sola dextra non sufficit, ut cùm multitudinem latè diffusam ostendimus, vel cùm necesse est monstrare manum dextram, v.g. abscindendam, si sit occasio scandali. Si sermo sit de latere dextro vel sinistro, ut, quòd ad illud in extremo Judicio locandi sint Electi, ad hoc Reprobi, non opus est uti manu sinistrâ, cùm hoc officio possit in ostendendo æquè fungi dextra. 2. Motus manûs in quibusdam occasionibus conveniat rei, de qua agitur, v. g. *Attraho, Repello, Extollo, Deprimo, Vnio, Separo, Misceo, Cælum, Terra, &c.* Minimè tamen convenit quævis minuta etiam manibus velut loqui & exhibere. Imò aliqua ridiculè prorsus aut inconvenienter exhiberentur, ut pulsus organi, usus fistulæ, chelys, mallei, &c. 3. Manus, nisi in summis Affectibus, idque ipsum ra-

rò,

rò, elevata capitis altitudinem non excedat. 4. In ostendendis quibusdam attendendum, ne agatur contra judicium. Utì faceret, qui loquens de Christo crucifixo, Matri Joannem commendante, deorsum manum protenderet: aut qui manus conjungeret, dum idem crucifixus Patrem pro crucifixoribus orans introducitur. Et similia, quæ cuivis ratio dictat.

VIII. Quomodo in quibusdam rebus particularibus manus sunt regendæ? Resp. 1. Ad indicandos numeros, & ad distinguendum inter Incisa, vel inter alia, exporrecta manus à dextro latere ad sinistrum, & rursus à sinistro ad dextrum modico intervallo porrigitur, & quieta sic tenetur, donec v.g. Incisum sit absolutum, volâ vel deorsum vel sursum spectante. Hortensium verò, numeros digitis computantem, videtur Cicero tacitè suggillare; quamvis hic modus aliquibus etiamnum placeat. 2. Malè tribus digitis in volam contractis, ut aliqui solent, actio solo indice & pollice fit. 3. Supplicamus manibus elatis & conjunctis, aut demissis. 4. Adversamur caput in sinistram, & ambas manus sublatas in dextram torquentes. 5. Negamus dextram manum aversam in latus dextrum removentes. 6. Interrogamus eandem modicè sublevando, ita, ut vola dicentem spectet. 7. Urgemus crebra manuum impressione. 8. Confirmamus

Actio in quibusdam particularibus.

manu dextrâ pronâ, gravi quodam ac decente motu depressâ. 9. Timorem exhibemus manibus sublatis, aliquantùm palpitantibus, & sensim versus pectus retrocedentibus. 10. Irascimur, nonnunquam manu in pugnum contracta; aliàs exporrecta, & ad latus extenta. Alii suggestum percutiunt; quàm bene, ipsi viderint. 11. Pœnitudinem ostendimus vultu mœsto, manibus ante pectus decussatis, & capite modicè ad latus vergente. 12. Admiramur manibus elatis, utraque vola populum spectante, & oculis sursum sublatis. 13. Ironiam prodimus vultu nonnihil ad latus averso & subridente, capitéq; leniter annuente. 14. Hortamur manu aliquantùm cava & aperta identidem sublata. 15. Mitigamus manu aliquoties leniter elata, & cum quadam gravitate demissa. 16. Multitudo manibus disjunctis; paucitas conjunctis & cavis ostenditur. 17. Minitamur suspenso supercilio, indice elato & aliquoties moto. 18. Dimittimus aversa manu celeriter mota. 19. Prohibemus manu elata & quiescente. 20. Permittimus dextrâ conversâ & porrectâ. Quintil. L. 11. c. 3. 21. Deniq; cavendæ sunt quædam occupationes manuum nugaces, quales sunt crebrò strophiolum arripere non necessitatis, sed consuetudinis causâ; identidem se occupare in manicis,

manicis, pileo, capillitio, &c. aliter disponendis. Vitanda etiam, quæcunque nauseam possent creare, ut sæpius tussire aut exspuere, &c. Quod quidem aliqui agunt, quoties ipsos memoria deserit, ut interim spatium cogitandi nanciscantur. Nec ægrè causam talium intercapedinum auditores coniiciunt, & tacitè irrident.



LIBER VI.

De Exercitio artis oratoriæ, sive de variis modis orationes, præsertim sacras, ex hactenus traditis præceptis componendi.

CAPUT I.

De requisitis ante scriptionem orationis.

1. QUid pro dilatatione & ornatu ante scriptionem orationis providendum? Resp. Jam prævisa atque constituta debet esse copia materiæ, quam alii *Sylvam rerum* appellant. Itaque inventa Propositione & Partitione, Argumentatione primaria (si sequi placet modum L. 1. c. 9. expositum) Argumentis & earum argumentatione, Amplificatione rerum, Affectibus, & aliis partibus orationis, restat cura, quomodo & unde hæ ipsæ partes possint exornari & dilatari. Quem in finem parata debet esse Sylva rerum.

Sylva rerum,

11. In quo consistit hæc *Sylva rerum*? Resp. 1. In copia variorum conceptuum, ut vocant,

In quo consistat.

cant, tum pro ipsa Propositione, tum pro reliquis partibus orationis. 2. In variis testimoniis sacrarum & profanarum scripturarum, Apophtegmatis, Similitudinibus, Exemplis, Eruditionibus. Non dico, quòd tota oratio debeat esse mera talium rerum farrago; sed curandum, ut ad ejus ornatum ex his aliqua seligantur, quæ suis locis moderatè & prudenter insperſa rem dilatent & excolant.

unde paretur.

111. Unde paratur hæc Sylva rerum? Resp. Ex diligenti lectione, & earum rerum sedula annotatione, quæ in futurum pro concionibus profuturæ videbuntur. Modum ex quavis materia utiliter annotandi docet P. Hierem. Drexelius in sua Aurifodina. Quodsi quis tamen vel ex neglectu, vel defectu quocunque alio, non habet, unde possit ex propria penu suas orationes condire, non is desperet: non deest, ex quo defectus iste possit expleri, modò non desit, ex quo sibi possit utiles quosdam libros comparare. Habentur hodie plurimi, quorum Indices locupletissimi, & nominatim à multis additi Indices concionatorii, possint inopiæ notatorum succedere. Istorum aliqui servient pro Conceptibus, seu excogitandis Propositionibus, Argumentis, Amplificationibus; alii Eruditiones continent; alii Historias probatas suppeditant; alii Doctrinas morales pro dilatanda Propositione & Argumentis

tis offerunt; alii denique omnia ista complectuntur. Videndum tamen, quinam ex istis assumantur; quidam enim Oratorem instruunt, ut possit comparere coram auditoribus magis cultis, ingeniosis, & doctis, quorum lucubrationes præposterè pro rudiore populo adirentur. Alii contrà pro hoc meliùs, quàm pro illis, usurpantur. Paucos quosdam ex plurimis nominabo incipientibus.

Auctores aliqui.

IV. Quinam Auctores idonei sunt pro Conceptibus & Propositionibus? Resp. Ferè omnes illi, qui Commentarios in S. Scripturam ediderunt, & ii, qui suis libris Indices concionatorios adjunxerunt. Nominatim: Celada in Judith, Esther, & Tobiam Tomi 3. Ludovici Alvarez Joseph Rachelis fil. illustratus: Balinghem Scriptura sacra in locos communes morum & exemplorum novo ordine distributa. P. Laur. Foreri Vita Christi. Bibliotheque des Predicateurs. Barradius Comment. in Historiam Evangel. Tomi 4. Corn. à Lapide in S. Scripturam. Mansi Bibliotheca moralis Tomi 4. Theophilus Raynaudus Tomi 19. Le Blanc in Psalmos Tomi 6. Lohner Biblioth. Manual. Olivæ Stromata. Nierembergii pleraque opera. Math. Faber Conciones. Engelgrave, &c.

V. Quinam pro informandis totis Concionibus? Resp. Paciuchelli Lectiones morales in Jonam Tomi 3., in Epist. ad Rom. De Christo

Christo Patiente. De B. V. De Patientia. Hunc solum tandem qui habet, de Argumentis, Doctrina morali, Conceptibus, Locis S. Scripturæ, & SS. Patrum, &c. sibi abunde prospectum credat. Kybler de Admirabilibus Mundi. Caussini Aula sancta. Labata Thesaurus moralis auctus à Stanihurst. Segneri Opera. Arias Thesaurus bonorum, quæ in Christo habemus. D'Outreman Pædagogus christianus. Polyantheæ Beyerlinck & Langii. Bretteville Essais de Sermons Tomi 9. in 8. Opera Ascetica majora, ut Jacobi Alvarez & Alph. Rodriquez de Perfectione. Drexelii opera. Santjure de Cognit. & Am. J. C. & alii similes. Item nonnullæ meditationes pro singulis diebus totius anni, ut: Nepveu, Le Maître, Hayneufue, Spinola, Lud. de Ponte, Segneri Manna animæ, &c.

VI. Quinam alii concionatori necessarii vel utiles? Resp. Sacra Biblia & Concordantiæ Bibliorum. Balinghem Flores Bibliorum. Del Rio Proverbia sacra. Pro concionibus, super Controversiis Fidei solitis institui, Becani Manuale, vel alii. Imò qui novit tractare Libros Theologicos, in iis non rarò uberem materiam inveniet, ut in Summa S. Thomæ & aliis, quos habere familiares proderit, ut argumenta solidè sint fundata in principiis Theologicis. Utilem ad hoc synopsin totius Theologiæ edidit P. Jac.

Jac. Platelius. Historiæ peti possunt ex Spondani Epitome, Morero, Dauroltii Cathec. histor. Rosignolio. Eruditiones ex Polyantheis, Nierembergii histor. Natural. Majoli dieb. Canicul. Masenii speculo imaginum verit. occult. Causini Symbolis, Pierii Hieroglyphicis, Emm. Thesauri Idea argutæ dictionis & Philosophia Morali, &c. Istos recensui, non quòd soli mentionem mereantur, sed quia primi occurrebant aliquos indicaturo. Sunt præterea alii, qui conciones vulgârunt. Horum, utì turpe est integras orationes mutuari, &, velut à se factas, proferre, ita partes aliquas modicas suæ concioni applicare nemo improbabit. Quis etiam carpet, si ex Libro Meditationum meditatio aliqua redigatur in concionem? Ex conciónibus aliquæ plenæ sunt variis doctrinis moralibus, conceptibus, exemplis, eruditionibus. Aliqui tam copiosam materiam congestam habent in unica concione, ut ea unica pro tribus aut pluribus sufficiat, cujusmodi sunt Conciones Math. Fabri, Pauli Segneri, Henr. Engelgrave, Petri Bessæi, &c. Cur non liceat ex his aliquam partem excerpere, & de suis plura addendo in concionem dilatare? Nihilominus auctoribus non est tam serviliter inhærendum in concipiendis Propositionibus & Argumentis, ut non nisi mendicato ex ipsorum bonis vivamus. Habet nostrum

ſtrum quoque ingenium, quod de ſuo poſſit tribuere. Quare Propoſitiones ex Indice concionatorio nunquam nudè in noſtram orationem transferendæ ſunt, ſed viſa alterius cogitatione alia ſimilis invenienda. Pro cæteris partibus orationis augendis & ornandis defectui notatorum ſubvenire poterit in fine Librorum poſitus *Index Rerum & Verborum.* In hoc luſtrando non conſulatur ſolum illud verbum, quod proximè tangit materiam noſtræ orationis, ſed quærantur inſuper idem ſignificantia & contraria, vel propiùs ad eandem rem accedentia. Ita ſi deſiderentur aliqua v. g. de Humilitate, inveſtigetur inſuper in eodem Indice in verbis: Demiſſio, Modeſtia animi, Contemptus ſui, Superbia, Arrogantia, Ambitio, Honor, Humilis. Si de Jejunio, quæratur etiam: Temperantia, Abſtinentia, Intemperantia, Gula. Idem faciendum in Concordantiis Bibliorum, quando pro aliquo argumento teſtimonia S. Scripturæ expetuntur. Verùm pro dilatatione ſequentia notentur.

CAPUT II.

De majore & minore bono.

1. QUid ſimpliciter eſt bonum? Reſp. De hoc fuſiùs agit Ariſtoteles L. 1. Rhet. c. 6. ubi definit, bonum eſſe id, quod propter

Quid ſit bonum,

propter se est expetendum, & cujus gratiâ solemus aliud expetere, tanquam medium, ad illud obtinendum; & quod omnia expeterent, si rationem haberent. Sic etiam equus, nisi ratione careret, tanquam suum bonum magis expeteret libertatem, quàm ut admitteret frænum & equitem. Et L. 1. Ethic. dicit ex veterum sensu, bonum esse id, quod omnes appetunt. Potest verò aliquid, quod non est bonum in se, esse alicui bonum privatim, ut jejunium, castigatio corporis, &c. Neque omne bonum est, quod tale cuicunque videtur, sed quod prudens, si rem penitus perspectam habet, bonum esse judicat.

Majus vel minus.

II. Quod bonum majus vel minus est? Resp. Res quævis creata major vel minor vocatur in comparatiooe alterius, h. e. major respectu minoris, minor respectu majoris. Sic mons quilibet est absolutè magnus, minor tamen collatus cum majore monte. Ovis major est respectu muris, minor respectu equi. Ex quo patet, posse aliquid esse majus minoris, & minus majoris comparatione. Jam verò ad præsentem meum scopum dico, illud bonum esse majus, quod alteri, in se simpliciter etiam bono, præstat: seu, quod in se habet tantum boni, quantum res illa altera, & præterea adhuc aliquem excessum.

Regulæ co-

III. Quæ sunt regulæ cognoscendi, an ali-

aliquid sit majus bonum ? Resp. Aristoteles Lib. cit. c. 7. & ejus interpres Majoragius sequentes tradunt, quas non pigeat considerare, ob utilissimum usum, capite sequente indicandum. Igitur 1. Plura bona præstant paucioribus, intelligendo, si pauciora illa connumerentur, seu conjuncta sint, cum illis pluribus; alioquin propositio non esset vera, cùm v. g. una virtus majus bonum sit, quàm opes, honores, forma, &c: sed si inter duas res controversas una habet utilitatem & gloriam, altera has, & insuper virtutem, erit majus bonum. 2. Si maximum in aliquo genere præstat maximo alterius generis vel speciei, etiam illud genus hoc genere præstat. Ut si maximus Orator præstat maximo Poëtæ, Rhetorica quoque Poësi præstantior est. Vicissim si unum genus aut species altero genere vel specie melius est, maximum in uno genere majus erit maximo alterius generis. Sic si Justitia major virtus est Fortitudine, vir justus viro forti major est. 3. Quod genus plura bona seu commoda complectitur, altero perfectius est. Sic homo perfectior est bruto, quia ultra vitam sensitivam habet etiam rationalem. Fortitudo militaris Jurisprudentiam superat bonitate; quia, licèt utraque cives conservet, illa insuper plus commodi præstat. Melius est pro patria vitam, quàm pecuniam, profundere; qui enim

gnoscendi majus bonum.

nim vitæ ſuæ non parcit, minùs parceret pecuniæ. 4. In bonis & malis majora ſunt, quæ rariùs ab hominibus fiunt. 5. Quod excedit rem magnam, quæ aliam rem magnam excedit, etiam illam alteram rem magnam excedit. V.G. Magna eſt dignitas Epiſcopalis. Hanc excedit dignitas Cardinalitia. Igitur dignitas Papalis, quæ Cardinalitiam ſuperat, etiam Epiſcopali antecellit. 6. Cauſa efficiens majoris boni, eſt & ipſa majus bonum reſpectu alterius. Sic majus bonum eſt bene agere, quàm bene dicere: majùs igitur bonum eſt Philoſophia moralis, quæ docet bene agere, quàm Rhetorica, quæ docet bene dicere. Vice verſa quando Effectus eſt majus bonum, etiam ipſius Cauſa Efficiens erit majus bonum. Sic actus Fortitudinis majus bonum eſt, quàm actus Temperantiæ, Liberalitatis, &c. Igitur etiam Fortitudo majus bonum eſt, quàm Temperantia, Liberalitas, &c. 7. Majus eſt, quod propter ſe expetitur, quàm quod propter aliud. Ita major eſt Scientia, quæ propter ſe expetitur, virtute bellica, quæ propter gloriam expetitur. Major fama, quæ propter ſe, quàm opes, quæ propter uſum appetuntur. Ob eandem cauſam majus bonum eſt, quod habet rationem finis, cùm hic propter ſe expetatur, alia verò ipſius obtinendi gratiâ. Et hinc ſcientia melior eſt ſtudio litterarum. 8. Majus eſt, quod minoribus

noribus, h. e. facilioribus & paucioribus indiget, quàm alterum. Ita sapientes cæteris anteferuntur, quia suâ sapientiâ contenti nihil aliud desiderant. Prata & areæ meliora sunt bona, quàm vineæ, quia minore sumptuum & laboris impendio indigent. Idcirco etiam res præstantior est, quæ non eget alterius ope, quàm quæ tali indiget; quemadmodum virtus Ducis excellentior est virtute militis, quæ sine virtute Ducis inutilis est. 9. Principium efficiens, & causa finalis, est majus bonum, quàm Effectus. Ideo inventor alicuius artis præfertur ei, qui jam inventam excolit. Ob eandem causam Deus omnium rerum principium & finis omnibus præfertur. Quodsi verò duo sint principia, aut duæ causæ finales, res ea major est, quæ à majore principio vel causa nascitur. Hinc majus est administrare bellum, quàm moliri ædificium, quia majus est Ducem esse, quàm Architectum. Eodem modo divitiæ & honores sunt duæ causæ finales, ob quas homines agunt: sed sicut honores divitiis antecellunt, ita majora sunt, quæ propter honores, quàm quæ propter opes fiunt. Rursus, quod rei majoris principium aut causa finalis est, majus censetur esse. Hic locus tamen dubius est, cùm principium sit imbecillum, v. g. suasor, plus verò agat, qui consilium exequitur. 10. Rara vulgaribus eminent, ut aurum ferro; licèt enim hoc sit utilius

utilius, tamen illud est rarius, & ejus possessio pluris æstimatur. Ita Cierc. pro Lege Man. Pompeium ex paucitate virorum fortium laudat. Contrarium censendum de quibusdam aliis rebus, quarum ut magna copia ita frequentior & necessarius usus est. Sic optima aqua, ignis, &c. Similiter difficilia facilibus plerumque majora sunt, ut in actibus virtutum & artibus: interdum verò minora, cùm nimis difficilia minora censeantur. 11. Majus bonum est, cujus contarium & privatio est majus malum; potest enim sæpe ex contrario cognosci majus bonum. Ut, si morbus majus malum est, quàm paupertas, etiam bona valetudo majus bonum est, quàm divitiæ. Sic etiam Justitia Fortitudini, fama opibus, virtus non virtuti, vitium non vitio præhabetur. Item bene facere pauperi majus est, quàm eidem esse bene affectum, ob eandem causam. 12. Majora bona vel mala sunt, quorum opera sunt pulchriora vel turpiora. Ut: Alexander illustriora præstitit, quàm Hannibal; Alexander igitur Hannibale major. Viciſſim qui major est, ejus etiam opera majora. Major est Humilitas Regis, se deprimentis, quàm alterius. Ex eo capite opera Christi sunt infinitæ dignitatis. 13. Quorum excellentia magis æstimatur, majora sunt. Ut si in majore æstimatione & honore est excellens Jurisconsultus, quàm excellens Me-

Medicus, Juriſprudentia melior eſt, quàm Medicina. Meliùs eſt, acutè videre, quàm acutè olfacere: Igitur viſus eſt majus bonum quàm Olfactus. 14. Majus eſt, cujus cupiditas eſt honeſtior & laudabilior. Quò autem res major eſt, eò magìs appetitur; igitur rerum honeſtiorum cupiditas honeſtior eſt. Ita honeſtum eſt gratificari amico; honeſtius prodeſſe patriæ: itaque patria præſtat amico. 15. Quorum ſcientiæ pulchriores & exquiſitiores, ipſa quoque ſunt pulchriora & exquiſitiora; eſt autem pulchrior ſcientia objecti pulchrioris; ex quo objecto pulchrior eſt ſcientia Theologiæ, quàm Phyſicæ, ideo melior Theologia Phyſicâ, melior ſcientia rei militaris Juriſprudentiâ, ſicut diſputat Cic. pro Mur. 16. Majus eſt, quod eſt tale judicio prudentium, ex quo metiendum eſſe majus bonum initio hujus capitis dictum eſt. Sic prudentes judicant, majus eſſe conſulere felicitati publicæ, quàm privatæ; prodeſſe animo, quàm corpori; honori, quàm divitiis conſulere. 17. Et quæ ſolent ineſſe melioribus. Inde dotes animi dotibus corporis præponuntur. 18. Majus eſt, quod vir melior eligeret, ut injuriam accipere, quàm inferre. Sic Fabricius melius eſſe judicavit, Pyrrho nuntiare, ut ſibi à Medico caveret, quàm concedere, ut hoſtis populi Rom. veneno tollatur. Regulus maluit ad ſupplicium redire, quàm hoſti

sti datam fidem fallere. 19. In rebus honestis majus est, quod jucundius, h. e. minùs molestum eò longiùs durans. Ita voluptas animi voluptati corporis antefertur. 20. Item quod pulchrius & decentius est, sicut Virtus decentior est opibus & formâ. 21. Quod homo sapiens & bonus sibi eligeret, aut amico suaderet. 22. Diuturniora & certiora brevioribus & incertioribus antestant. Ex quo capite pluris fit honor, quàm opes; ars experientiam, virtus bona cætera præcedit. 23. Majus est, quod omnes boni appetunt, quàm quod non omnes; quod plures, quàm quod pauci. Dicitur: *boni*; nam plures mali magis expetunt divitias, quàm Justitiam, bona corporis, quàm animi. 24. Majus est, quod ipsi adversarii tale judicant, quibus in simili judicio meritò plus tribuitur, quàm amicis: ut, si ipsi scelerati judicent, aliquid esse rectè factum. 25. Majus bonum est, quod omnes habent, qui boni censentur, & quo carere ignominiosum est, ut habere amicum, imbutum esse litteris; oppositum enim aliquo modo ignominiosum est. 26. Quod est laudabilius. Sic Cic. pro Marcello probat, laudabiliorem esse clementiam, quàm virtutem bellicam. 27. Quæ magnitudine excedunt illa, quæ omnibus magna videntur. Magnum videtur vincere gentes, majus vincere seipsum. Cicer. ibid. 28. Majus apparet, si, quod sumatim dici po-

potuisset, distribuatur in partes, qui modus Ciceroni familiaris est. Iste & præcedens modus magnopere servit ad amplificandum, præcipuè si in hoc posteriore fiat Congeries aut Commoratio, de quibus dictum L. 3. c. 11. n. 3. & 5. 29. Majora habentur, quæ ad felicitatem ac beatitudinem vitæ spectant, cujusmodi sunt potissimùm virtutes, &c. 30. Præterea, quæ propter seipsa expetuntur, meliora sunt, quàm quæ propter aliorum existimationem. Sic valetudo propter seipsam, forma propter alios expetitur. Idcirco Humilitas melior est aliis virtutibus, quia per eam non captatur aliorum existimatio, sicut fieri potest per alias. Insuper omne id præstat, quod homines magis optant esse, quàm videri. 31. Quantò plures commoditates aliqua res habet præ altera, tantò major est, si cætera sint paria; nam bona animi bonis corporis semper sunt præferenda. 32. Majus est bonum, quo minùs possumus carere. Sic Visus præstantior est aliis sensibus, & unus oculus lusco carior est, quàm duo rectè & ambobus videnti, quia hic uno amisso habet saltem alterum, ille verò penitus excæcatur. Honor eadem de causa opibus præponderat, quia minùs eo possumus carere.

CAPUT III.

De usu præcedentis doctrinæ in orationibus generis Deliberativi & Exornativi.

Præcedens doctrina utilis

1. AD quid servit doctrina de Majore & Minore bono modò explicata? Resp. Est ea unus ex primariis fontibus Amplificationis, præsertim in generibus Deliberativo & Exornativo. Certè Aristoteles ipse, dum agit de Amplificatione, remittit lectorem ad ea recolenda, quæ de Majore & Minore bono in 1. Libro dixit.

in genere Deliberativo.

11. Quomodo igitur adhibetur in Deliberativo? Resp. Cùm hujus generis partes sint Suasio & Dissuasio; non suadeamus autem, nisi bonum, nec dissuadeamus, nisi malum, oportet imprimis cognoscere, quid sit bonum, & quàm multiplex. Princeps & magìs consueta ipsius divisio est in bonum Utile, Honestum, Jucundum, Facile, & Necessarium. Qua ratione hæc bona cognosci possint, prolixè explicat Aristot. L. 1. Rhet. c. 6. cujus regulas, ut rursus diffusè hîc recenseam, non admittit parvitas istius libelli, quam mihi proposui. Quoniam verò, ut idem ait initio cap. 7. inter duas res, quarum utramque cognoscimus esse bonam, de-

deliberamus, utra illarum sit præ alterâ eligenda, atque adeò suadenda; vel utra magis fugienda tanquam majus malum, & ideo dissuadenda, necesse est scire, quodnam inter duo bona vel mala sit majus. Ac tametsi de malo in priore capite ex instituto non egerim, facilè tamen ex iisdem regulis majus & minus malum potest coniici, cùm contrariorum eadem sit ratio & disciplina. At sunt orationes, & fortè plures, in quibus non deliberatur inter duo bona & mala, utrum sit eligendum vel repudiandum, sed proposito simplici bono, vel simplici malo, quæritur, an sit faciendum, vel omittendum? Quid in tali occasione juvat cognitio Majoris vel Minoris boni? Dico nihilominus, adjumento esse posse plures ex iis regulis. Vel enim ostendetur, id, quod suadetur, non tantùm esse quocunque modo bonum, sed etiam habere rationem Majoris boni, sive boni eminentis, id est, quod supra vulgarem bonitatem habeat insuper excessum. Vel citra comparationem pleræque ex datis regulis servient ad demonstrandum, rem, quæ suadetur, continere singularem aliquam boni excellentiam, ut patebit easdem attentiùs consideranti.

III. Quomodo eadem res idonea est amplificationi in genere Exornativo? Resp. Laudatur etiam solum bonum, idque duo- in Exornativo.

bus modis, vel *Absolutè*, prout aliqua res bona est in seipsa; & tunc dilatatur factum aliquod, aut virtus, aut res alia ab Adjunctis, vel ex aliis capitibus, L. 1. præsertim c. 5. recensitis. Vel laudatur persona, factum, virtus, aut alia res *per Comparationem* sive respectum aut relationem, quam habet ad res alias; & tunc sequentia observentur. In ejusmodi laude comparatio instituitur non cum minore (quæ enim laus superâsse bonitate, v. g. peccatorem, ignavum, &c?) neque cum pari parvo, sed cum magno, quem æquâsse omnium judicio laus non sit exigua. Neque obstant huic modo illa, quæ L. 1. c. 5. n. 7. insinuavi, si decora illius, cum quo instituitur comparatio, breviter memorentur, ejus verò, qui laudatur, dilatentur. Ista verò comparatio optimè fit, si assumatur bonum aliquod, communi hominum æstimatione eximium, sive prout illud in alio enituit, sive prout in aliqua idea proponitur, juxta ibidem dicta, & ostendatur, etiam illud bonum in eo, qui laudatur, fuisse, & insuper excessum. Sive, habuisse illum bonum simpliciter tale, quale in illo altero admiramur, & præterea aliud majus bonum. Ex quo non ægrè apparet, quàm elegantes amplificationes sint prodituræ, quámque copiosæ, & quàm utiliter cognoscantur, quæ de Majore & Minore bono suprà proposita sunt. Moneo tamen, istum modum

in

in laudibus non debere perpetuum esse, cùm alioquin, sicut in cæteris rebus, identidem antiqua methodus allata fastidium pareret. Verùm plura, quæ de genere Exornativo explananda supersunt, quæque in hunc librum differenda videbantur, mox subjungo.

CAPUT IV.

De genere Panegyrico, & variis ejusdem speciebus.

1. Estne discrimen inter Genus Exornativum, Demonstrativum, Laudativum, Panegyricum, Epidicticum? Resp. Nominis, non rei. Quamvis orationes hujus generis etiam vituperium contineant, tamen à meliore sui parte, ut ait Cic. in Partit. n. 69. & ab eo, quod magis ordinariè fit, *Exornativæ* vocantur. Eædem dicuntur *Panegyricæ* à græco vocabulo, quod conventum populi significat; cùm olim in tali habitæ sint orationes in laudem deorum & heroum. Ab alia rursus græca voce appellantur *Epidicticæ*, quod idem sonat ac *Demonstrativæ*, quia dum aliquid laudatur, vel vituperatur, quid honestum, quid turpe sit, demonstratur. Quare genus Panegyricum latè sumitur pro omni oratione in laudem alicujus instituta.

II.

Species generis Panegyrici.

II. Quæ sunt species Panegyrici ? Resp. Pro diversitate occasionum, in quibus tales orationes habentur, varia etiam nomina sortiuntur. Oratio *Genethliaca* vocatur illa, quæ in Natali Principum dicitur. *Lustrica*, quæ suscipitur, quo die talis infans baptizatur, eique nomen imponitur. *Epinicium* est gratulatio de Victoria, vel alio quovis felici majoris momenti eventu. *Lamentatoria*, quæ fit in casibus adversis. *Epithalamium* in Nuptiis Principum. *Eucharistica*, quando gratiæ aguntur. *Funebris* est laus alicuius defuncti. Habentur etiam aliæ *In Principum Inauguratione*, quando scilicet Reges unguntur, vel Princeps, Gubernator, aut Magistratus creatur. Aliæ denique *ad Principem recipiendum*, vel Magistratus urbem ingressos, qui talibus orationibus salutantur. Modò quædam breviter de singulis his speciebus.

Oratio Genethliaca,

III. Quomodo constructur oratio *Genethliaca* ? Resp. *Exordium* sumitur ab Adjunctis personæ, loci, temporis. Vel à votis publicis, precibus & sacrificiis, pro impetranda prole institutis. Vel gratulamur parentibus, patriæ, &c. Malè ominamur hostibus. Vel petitur ab exclamatione gratulatoria. *Confirmatio* potest habere tres partes, enumerando adjuncta, 1. *Quæ Nativitatem præcesserunt*, v. g. preces & vota publica, aut prodigia, oracula, somnia, &c, si quæ ante Nativitatem contigerunt. 2. *Comitan-*

tia

tia Nativitatem. Ut si parentes diu sine prole fuerunt. Dici quoque potest de iisdem, & ipsorum Majoribus. Quæ proles sit, an primogenita? Quæ formæ & indolis indicia præbeat? Quis fuerit plausus ac lætitia patriæ ex hac nativitate audita? Quid adversarii possint sibi ominari? Locus & Tempus. Denique extraordinaria, quæ fortè circa ipsam Nativitatem acciderunt. 3. *Nativitatem secuta vel secutura.* Quo rursus loco, nisi jam recensita fuerint, afferri possunt publica lætitiæ signa, tum in regno, tum apud exteros edita, aut contrà hostium consternatio ex metu eorum, quæ meritò sibi præsagire possunt in futurum. Conjecturæ, quid ex hoc Principe nato patria sibi in posterum possit polliceri, quæ desumi possunt ex indole & factis Parentum & Majorum, aliisque adjunctis temporis & rerum, quæ in tali regno geruntur. *Epilogus* ut plurimum continet vota & faustas precationes pro incolumitate, felicitate, & longa vita nuper nati, ac parentum ipsius. Vel possumus his & patriæ gratulari.

IV. Quomodo fit oratio *Lustrica*? Resp. *Exordium* ab Adjunctis loci, temporis, personæ, parentum; ex aliqua eruditione de ritu imponendi nomina; de nominum significatione ominosa, & similibus. *Confirmatio* ex Ethymologia nominis, à causa illud imponendi; à virtutibus, quas illud significat, aut Lustrica.

aut quas ille habuit, à quo petitur, aut quibus illustres fuerunt Majores, vel alii ejusdem nominis, inde conjecturam faciendo, illíque bene ominando, cui simile nomen impositum est. Potest etiam inseri laus Parentum, Familiæ, Cognatorum, &c. *Epilogus* concluditur votis, gratulationibus, &c.

Epinicium. v. Quomodo *Epinicium* formatur? Resp. *Exordium* petitur à causis publicæ lætitiæ, earum æquitatem demonstrando, quod facit Cic. in 3. Catil. ob mutationem fortunæ, vel alias quascunque circumstantias. *Confirmatio* consistit in explicatione boni obtenti, itidem ex causis & adjunctis, antecedentibus, consecuturis, enumeratione partium difficultatis, & commodorum, ex obtento bono enascentium, per Hypotyposes, descriptiones, digressiones, comparationes prioris fortunæ cum præsenti, &c. Fieri potest honorifica mentio illustriorum facinorum, quæ præcipui quidam Duces, aut etiam milites, patrârunt. *Epilogus* ad arbitrium oratoris habet vel gratiarum actionem Deo præstandam, vel istius felicitatis auctoribus; aut vota pro illius diurnitate; aut gratulationes.

Lamentatoria. VI. Quomodo construitur oratio *Lamentatoria*? Resp. Sicut Epinicio est opposita, ita ratione materiæ seu subjecti diversi opposito quoque modo tractatur.

Epithalamium. VII. Quæ est forma *Epithalamiorum*? Resp. Ex-

Exordium præseferat in verbis & gestu demonstrationem insolitæ lætitiæ, ex celebritate diei ortæ. Vel habeat significationem difficultatis argumenti ob nobilitatem dotesque præclaras sponsorum, vel aliam quamvis causam. Vel Orator causas exponat, à quibus ad dicendum sit motus. Vel enumerentur commoda ex hoc connubio consecutura. *Confirmatio* complectitur laudem Sponsorum ex principiis illis, quæ L. 1. c. 5. dedi, singulariter etiam ex eorum nobilitate, factis Majorum aut cognatorum. Præsagit ipsorum felicitatem & comoda patriæ ex Liberis nascituris & eorum factis, quorum conjectura, spes, & præsagium ex gestis Parentum deduci potest, quos imitabuntur. Locum hîc inveniunt eruditiones ex veterum ritibus nuptialibus. Describuntur apparatus, ludi, lætitia publica populi, &c. Mentio fit insigniorum hospitum, solennitati præsentium. Adduci possunt sanctitas & emolumenta connubii in genere, & istius in particulari, ob morum similitudinem in utroque conjuge, & felicitatem patriæ inde orituram. *Epilogus* constat gratulatione & votis pro faustitate conjugii, &c.

VIII. Qualiter conficitur *Eucharistica*? Eucharistica.
Resp. In tali oratione magnopere curandum, ne de simulatione vel adulatione possit esse suspecta, cujus suspicionis declinandæ

nandæ modus videri potest in Panegyrico PliniiSecundi, quem Trajano Imp. dixit,& in aliis. *Exordium* ducitur aliquando à persona Oratoris, & causis, quibus ad dicendum adductus sit, illas apertè fatendo. Aliàs à virtute, quæ in dato beneficio maximè elucet. Vel ab excusatione diutius dilatæ gratiarum actionis. Vel à persona benefactoris. Vel à beneficii modo, tempore, magnitudine, cui satìs laudando imparem se Orator profitetur. Hæc autem, quò simpliciùs proferentur, eò minùs erunt suspecta. *Confirmatio* consistit in laude benefactoris; in explicatione & modesta exaggeratione beneficii accepti, ab Adjunctis, & Causis, quis, quid, cui, quo affectu & benevolentia, quomodo, quando, &c. dederit. In *Epilogo* promittitur animus semper memor, & mutua studia.

Funebris. IX. Quis est modus orationis *Funebris*? Resp. *Exordium* sit plenum demonstratione luctûs, additâ breviter illius causâ. Quandoq; continet querelas de morte & ejus causis, aut de rerum humanarum inconstantia. Quidam ordiuntur ab apparatu funebri præsente: alii ab aliqua eruditione, ex veterum ritibus funereis assumpta: fieri etiam potest à persona defuncti vel Oratoris, defuncto conjuncti, vel obstricti. *Confirmatio* complectitur laudem virtutum, nobilitatis, conditionis, gestorum à defuncto, dum adhuc

huc vivebat: deinde mortis modum, & quæ circa vel post eam contigerunt, ut luctus communis, concursus ad exequias, &c. Recolantur dicta L. 1. c. 5. Deinceps afferantur causæ solatii pro superstitibus, v. g. ex justa spe felicitatis æternæ, &c. Deniq; documentum aliquod pro moribus instruendis potest suggeri ex moriendi necessitate, ex defuncti virtutum exemplis, &c. *Epilogus* bene precabitur defuncto, perennem ejusdem memoriam promittet, ad defuncti imitationem exhortabitur, &c. Aliàs licebit orationem concludere Epitaphio. In hujusmodi orationibus nonnulli defuncto Templum honoris, Mausolæum, Castrum doloris, &consimilia apparârunt. Denique opportuna sæpius erit laus illustrium cognatorum vel aliorum, funeri præsentium, Familiæ, &c. In his orationibus nil afferendum, quod posset gaudium excitare. Cic. Phil. 13. breviter laudat Legionem Martiam, quæ in prælio Mutinensi cecidit, consolatur propinquos, &c.

In Principum inauguratione.

x. Qualis est oratio *in Principium Inauguratione*? Resp. Hæc oratio pro magnitudine pompæ debet & ipsa esse splendida, ornata, magnifica, artificiosa, & luminibus ingenii exculta. *Exordium* sumitur à persona, meritis, dignitate electi in Principem vel Magistratum, à communi lætitia, à loco, ab apparatu, à cæremoniis, &c. *Confirmatio* habet

bet laudem personæ Regis, Principis, Præsulis, vel Magistratûs illius, dicendo, v. g. quòd sit imago Dei, quemadmodum Moyses olim dictus est Deus Pharaonis; Joseph Salvator mundi, &c. Comparabitur cum illustribus aliis Principibus, vel hujus regni, vel aliis, cum quibus habet aliquam similitudinem morum aut gestorum; in quo tamen, quantâ prudentiâ sit opus, nemo non videt. Adducentur rationes inaugurationis, spes & emolumenta subditorum ex tali Principe, explicationes Insignium dignitatis & Magistratûs, ut in Regum, Episcoporum, Abbatum inauguratione. Exponenda dignitas & potestas talis Principis, pompa inaugurationis, &c. *Epilogus* gratulatur Principi & patriæ. Vota facit pro incolumitate, longo felicíque regimine. Ad hanc classem spectant etiam orationes, quæ in Academiis pro inauguratione Doctorum fiunt; quamvis alicubi non tales orationes instituantur, sed aliæ Quæstiones assumantur, in aliqua oratione discutiendæ.

In eorundem receptione.

XI. Qualis oratio servit *ad recipiendos Principes*? Resp. Istæ Orationes sint breves, comptæ dictione, & ingeniosis conceptibus exornatæ. Nec est idem universalis modus in singulis, sed variantur pro diversitate dignitatis aut conditionis personæ, loci, temporis, causæ adventûs. Communia tamen ferè illis sunt sequentia. *Exordium* ducitur à publi-

publica lætitia, exſpectatione populi, & votis videndi Principem. Ab Adjunctis loci, temporis, & perſonarum, quas accedit. *Confirmatio* refert enucleatiùs cauſas adventûs, gratulationes ob felicem acceſſum, ſpem boni ex illo ſecuturi. Commendat virtutem, quæ ex tali adventu elucet, Principis in eundem locum ſtudia, mutuum amorem ſubditorum. Deſcribitur apparatus in eo excipiendo, plauſus & feſtivæ acclamationes. Afferuntur idoneæ ſimilitudines, comparationes, ſymbola, quibus Princeps commendetur. Fit Apoſtrophe ad urbem, cives, Templa, &c. Si ſit Legatus Regis, qui advenit, Regis quoque ipſius ſtudium in hunc locum celebratur. *Epilogus*, repetitâ gaudii communis brevi mentione, animos, opes, obſequia offert, ſtudia pollicetur, vota pro felici negotiorum ſucceſſu concipit. Qui plures hujus generis orationes, variis occaſionibus habendas, optat, diverſorum exempla, cum farragine eruditionum, ad eaſdem ſpectantium, reperiet *in Oratore Extemporaneo P. Mich. Radau.*

CAPUT V.

De artificio componendi ſermonis panegyrici.

1. EX quibus capitibus laudi virtutis ornatus Laus virtutis.

natus conciliatur, & dilatatio additur? Resp. Sæpius jam allegato L. 1. c. 5. dixi, potissimam & ferè unicam materiam laudis esse virtutem, & quæ cum hac conjuncta sunt. Monui eodem loco, virtutes in laude alicujus non esse adducendas solùm per species, dicendo v. g. fuisse Fortem, Patientem, &c; sed producendos etiam exquisitiores quosdam actus virtutis hujusmodi. De his jam procedit ista quæstio, quomodo in oratione cum ornatu possint dilatari? Ad quam respondeo, si 1. ostendatur ejus excellentia. 2. Necessitas. 3. Effecta. 4. Si comparetur cum aliis ejusdem aut alterius virtutibus aliis, vel similibus, ob quas æstimabantur, demonstrando, hanc, quæ laudatur, esse Majus Bonum. 5. Nonnunquam contrarium ipsam faciet magìs elucere. 6. Causæ. 7. Similitudines. 8. Effata Sanctorum, & aliorum sapientum. 9. Historiæ breves. Quæ Figuris compta virtutem ipsam, ex se pulchram, monstrabunt ornatiorem. Ita tamen isti flores curentur, ut semper potior ratio rerum habeatur. Quo pacto verò virtutes, res, & personæ singulares sint laudandæ, explicare esset longissimum, nec hujus compendii. Videri ea possunt in Tyroc. Eloq. L. 3. P. 2. c. 1. Palat. Eloqu. Exer. 8. Lect. 1. 2. 3. 4. & 6. Cand. Rhet. Dissert. de Panegyrico Sect. 1.

Stylus generis Panegyrici

11. Quis est *Stylus* huic generi proprius? Resp.

Resp. Cùm hoc genus orationum teste Tullio de Orat. n. 96. sit *Insigne & florens, pictum & expolitum, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepôres*, quia ad delectationem auditorum factum est, dictio debet esse minimè sicca & sterilis. Ejus modum facilius quidem est ex lectione Auctorum, qui Panegyricos scripserunt, quàm ex centum præceptis condiscere, afferam tamen quædam principia universalia. Sit igitur 1. Stylus Panegyrici illustris verborum & sententiarum Figuris insignioribus, putà Antithesi, Hypotyposi, Distributione, Ethopæia, Prosopopæia, Apostrophe, Sustentatione, &c. Ita nihilominus Figuræ adsint, ut studio, alia velut facie ipsis inducta, tegantur, ne puerilis redundantia appareat. Varias Ideas suppeditat Cand. Rhet. Dissert. de Panegyr. P. 2. c. 2. 2. Periodi ne sint nimis longæ, nec frequentiores. 3. Dictio sit instructa sententiis & ingenii arguti luminibus. 4. Accuratus nitor in verbis & oratorio numero curetur. 5. Verba sint rebus accomodata, & ita clara, ut tamen ex vi ingenioſa significandi plus in se contineant, quàm præseferant; vellicent ingenium auditoris, & suavitate sua cum admixta acrimonia oblectent. 6. Varietas, si in ullo alio genere, in isto maximè requiritur, ne antiqua, dum redeunt, fastidium pariant. 7. Plurimùm ornant Definitiones conglobatæ,

Enume-

Enumerationes partium, Similitudines, Effecta, Contraria, Sententiæ graves & acutæ, fluentéſque Periodorum exitus.

Ejuſdem Exordium.

III. Quale debet eſſe *Exordium*? Reſp. Floridum, & omni ornatu oratorio expolitum. Ei verò occaſionem præbet locus, tempus, Divus aut alius, quem laudare conſtituimus, auditores ipſi, ſolennitas, dictum aliquod ſapientis, & alia, quæ ſuo loco dixi, huc applicanda: utì etiam, quæ de Propoſitione & Diviſione jam acta ſunt ſuperiùs, & quibus paulò pòſt quædam addentur.

Narratio & Confirmatio.

IV. Quomodo conſtituta ſolet eſſe *Narratio & Confirmatio*? Reſp. In Panegyricis, in quibus non adhibetur Argumentatio & Partitio, Confirmatio ferè conſiſtit in narratione geſtorum illius, qui laudatur, eo ordine, quem ſibi quiſque præſcripſerit: v. g. Laudari poteſt ex iis, quæ ante vitam, in vita, & ejuſdem certis ætatibus aut ſtatibus, & quæ poſt vitam acta ſunt. In illis verò, quæ fiunt cum Argumentatione & Partitione, Narrationem brevem, ſi ea videatur neceſſaria, ſequitur Partitio in certa capita, quæ deinceps orationis partes & ordinem conſtituant. Ita ſi laus v. g. S. Caroli Borromæi reducatur ad Ideam boni Præſulis, argumentatio poteſt eſſe talis: *Bonus Præſul eſt, qui habet decora illa, quæ in eo requirit S. Paulus 1. ad Timoth. 3. v. 1. & ad Tit. c. 1. v. 7.*

(ex

(ex quibus seligi & statui possunt capita Partitionis) *S. Carolus ista habuit.* Hæc Assumptio confirmatur exemplis, ex vita adductis. *Igitur fuit bonus Præsul ad normam ab Apostolo præscriptam.* Alius modus est ille per tempus ante vitam, in vita, & post vitam. Item, quæ in pueritia, adolescentia, juvenili, virili, senili ætate egit. Rursus, si conqueramur, nimiam copiam laudis electionem facere dubiam, de quibus potissimùm dicere conveniat; adigi nos igitur, cùm omnia dici non possint, ad unum alterúmve tantùm decus delibandum, ex quibus conjectura fiat de cæteris, quæ supprimuntur. Eliguntur deinde duæ vel tres virtutes singulares explicandæ, quæ ipsæ tamen occasionẽ dabunt etiam de aliis mentionem faciendi. Ita in sermone de Passione Domini, siquis loquatur de injuriis ipsi irrogatis, dicere posset, se de reliquis nihil dicturum, solùm duas illas gravissimas consideraturum, quarum alterâ latroni Barrabæ fuit posthabitus, cui vel conferri innocentissimum atrox fuit, atrocissima per hanc publicam populi acclamationem postponi, quasi esset deterior; alterâ in medio duorum latronum, infamissimo ejus ætatis supplicio, fuit in cruce suspensus. Istæ dein comparari possunt cum aliis gravibus injuriis, quas innocens, &c. sustinuit.

v. Quis modus dilatandi Confirmationem? Dilatatio Confirmationis.

Resp. Discrepat hac in parte istud genus à De-

Deliberativo & Judiciali: neq; enim in hoc Propositio plerumq; argumentis stabilitur, sed factis, ex vita petitis, quorum veritas cùm certa esse ponatur, non tam de Probatione, quàm dilatatione laborandum est. Dilatantur autem vel per distributionem totius in partes, vel per explicationem Adjunctorum, vel per ea, quæ n. 2. hujus cap. dicta sunt, vel per Figuras. Insuper celebrius fit aliquod factum, 1. Si quis primus aut solus rem quampiam fecit, solus aliquo honore aut alia re dignus est habitus. 2. Si non fuit primus aut solus, socios tamen paucos habuit, aut non eos, qui multùm conferre potuerint; aut certè ita in illa re laboravit, ut ejus effectus velut soli mereatur adscribi, sicut Indorum conversio S. Francisco Xaverio. 3. Aut si rem primus invenit, vel ab alio rudi modo inventam sic perfecit, ut princeps talis rei jure habeatur. 4. Si inter socios plurimùm excelluit. 5. Si aggressus est rem valde arduam, sine magnis adjumentis & subsidiis, sine spe gloriæ, in hac vita obtinendæ, sine solatiis, &c. 6. Si res fuit rara, bono publico singulariter utilis, aut necessaria. 7. Aliàs, si speciales honores alicui sunt habiti. 8. Si rem difficilem &c. non semel tantùm, sed sæpius patravit. 9. Si suo exemplo plurimos discipulos aut sequaces post se traxit. 10. Si cælum ipsius labores suis favoribus præ aliis pro-

probare visum est; vel eos sapientes reliquis prætulerunt; vel ipsi adversarii laudârunt.

VI. Qualis est *Epilogus* in Panegyrico? Resp. Habet etiam hoc genus suos Affectus concitandos, à potiori tamen leniores, ut Amorem, Æmulationem, &c. In vituperio autem Indignationem, Iram, Pudorem, Odium, &c. Cæterùm varius est in hoc genere modus Epilogorum, quemadmodum videre est apud Auctores: 1. enim aliqui ad vota & preces ad Superos convertuntur. Sic Plinius in Panegyr. Trajani vota facit pro ejusdem felicitate. 2. Aliàs gratiæ aguntur Deo, Patriæ, auditoribus, &c. 3. Latinus Pacatus in Paneg. Theodosii se excusat, quòd minùs eleganter pro dignitate Imperatorem laudaverit. 4. Idem sibi gratulatur, quòd tantum Principem viderit, ejúsque laudes proferendi facultatem nactus sit. 5. Sumitur à pollicitatione officii perpetui & amoris. 6. Causam reddit, cur rem unam potiùs, quàm alias laude dignas, sibi sumpserit. 7. Fieri potest petitio pro se vel pro aliis, v. g. ut Divus, quem laudavimus, præsentes protegat, in clientes recipiat, &c. 8. Possunt moveri Affectus, de quibus initio hujus numeri. In Funebribus Doloris, in Genethliacis Spei, &c. Enumeratio verò & Amplificatio rerum ordinariè non fit in hoc genere. Epilogus.

Panegyricus facer.

VII. Estne modus solidus & facilis componendi Panegyricum sacrum? Resp. Talis videtur esse sequens, quem ferè habet Bretteville Eloquence de la chaire L. 2. c. 9. Initio Exordii explicetur Evangelium proprium ei Sancto, quem laudare paramus, addendo rationem, cur hoc ipsi applicetur, maximè verò, cur eidem tribuatur illa pars, quæ more consueto velut thema orationi præmittitur. Ne verò in singulis concionibus festorum idem hic modus ingeratur identidem, cavendum. Id quod vitabitur, si 2. post diligentem considerationem earum actionum & virtutum, quæ sunt proprius veluti character istius Sancti, extrahatur ex quibusdam circumstantiis particularibus, quæ hanc notam isti Sancto propriam faciunt, ut videlicet ea res non ita in aliis deprehendatur, Propositio & Partitio orationis, atque in ordine an hanc thema, ex sacris Litteris desumptum, explicetur, & per talem explicationem via ad inferendam Propositionem sternatur. Modum facilè inveniendi characterem istiusmodi, cuivis Divo proprium, docet libellus gallicè scriptus à *D. Durand*, inscriptus : *Caracteres des Saincts.* 3. Pro hujus deinde Partitionis amplificatione & exornatione quærantur ex vita illius Divi actiones & virtutes illustriores, quæ ad propositum spectant. Inter omnes tamen illæ sumantur potissimùm expoliendæ, quarum

rum imitatio est facilior, omissis aliis, vel obiter solùm expositis, quæ Sancto alicui ex rariore, & admirando potiùs quàm ad imitationem proponendo, Dei dono obtigerunt. Illas eleganti orationis modo per narrationem figuratam & eloquentem introducat, ea semper ratione, ut post quamvis insigniorem actionem fiat applicatio ad instruendos mores auditorum, præclara quædam documenta eruendo. Quod fieri potest, vel ipsos arguendo, comparatis ipsorum moribus malè ordinatis cum sanctimonia illius, qui laudatur; vel eosdem ad imitationem stimulando; vel confutando frivolas, quibus utuntur, excusationes contra exercitium perfectionis christianæ & evangelicæ, dum ipsis ostenditur, fieri posse, quod fecit homo sicut ipsi, debilis & delicatus quales sunt ipsi, &c. 4. Huic applicationi documentorum potest adjungi exhortatio vehemens, qua ipsis inculcatur, fore, ut hic Sanctus, qui hodie ipsos suo patrocinio protegit, olim sit ipsorum judex, contrariis suis exemplis vitam nimis mollem condemnaturus; &c. Hic modus immiscendi enarratis Cælitum virtutibus istiusmodi doctrinas, moribus instituendis idoneas, & cohortationes eidem scopo accommodatas, videtur haud dubiè esse genuina idea sacri Panegyrici, qui simul sit solidè facundus, simul utilis audientibus. Par est ratio orationum funebrium,

brium, in quibus alienæ salutis studiosus Orator occasionem uberem reperit commendandi studium virtutis, fugam vitiorum, contemptum rerum terrenarum, præparationem ad mortem & judicium, servitium & amorem Dei, &c.

CAPUT VI.

De copia & inopia materiæ in Panegyricis.

Defectus materiæ in Panegyricis.

1. UNde suppleri potest defectus materiæ in amplificatione Panegyrici? Resp. In his orationibus non rarò contingit, ut Orator pro laude alicuius materiam, aliunde jam paratam, non inveniat, de quo defectu mentionem aliquam feci L. 1. c. 15. n. 5. Adeóque necesse erit, ut propè totam ex suo ingenio depromat. Quod quidem facile est felicioribus ingeniis, imò facilius, quàm si materiâ abundarent; at minùs fœcundis non item. His ut subsidium aliquod afferam, dico, angustum argumentum ampliari posse 1. Per Locum communem, de quo egi cap. nunc cit. 2. Licebit aliquando conqueri de injuria temporum, per quam gesta talis Sancti, forsan olim tabulis consignata, interciderunt, aut de incuria Majorum, qui digna posterorum memoriâ non annotârunt, ac tum dicere quidem cõmunia

Mar-

Martyribus, Pontificibus, Virginibus, &c. cujuſmodi orationum exempla complura reperiuntur apud varios Auctores, & in concionatoriis Indicibus, ſemper tamen contracta ad locum, in quo habetur oratio, ad tempus, ad præſentes auditores, &c. ne, quod vitioſum eſt, iſta oratio poſſit attribui cuivis alteri ſimili Sancto. In illa applicatione planè opus eſt auxilio ingenii. 3. In nonnullis Sanctis Notatio nominis ſuggerit non inelegantes cogitationes & Partitiones. Ut ſi dicatur *S. Bonaventura* vel ſuo nomine piis cultoribus in hac & in altera vita promittere *Bona ventura. S. Irenæus.* ſeu *Pacificus* pacem facit in animis; in loco, ubi ipſius ſacræ Reliquiæ quieſcunt; inter Deum & homines per conſtantem interceſſionem. Similium conceptuum fontes ſunt innumera alia nomina. Vt: *Dorothea*, Donum Dei. *Andreas*, Fortis. *Chryſoſtomus*, Os aureum. *Gregorius*, Vigilans. *Nilus Abbas*, à flumine Ægyptum fœcundante. *Sebaſtianus*, Auguſtus. *Stephanus*, Corona. *Laurentius*, *Vincentius*, *Victor*, *&c.* 4. Si quando ſaltem aliquid de tali Sancto conſtat, poteſt conjectura fieri de aliis, cum hoc cognito connecti ſolitis, aut quæ ex eo legitima conſecutione inferuntur, ſalvo tamen eo, quod monui L. 1. c. 5. n. 3. Ut ſi conſtat, aliquem fuiſſe Martyrem; fuit igitur fervens charitate erga Deum, Fortis, Patiens. Ex quibus meritò ar-

arguitur, quòd jam in anteceſſum carnem ſuam crucifixerit cum vitiis & concupiſcentiis. Si fuit Apoſtolus, conveniunt ipſi, quæ de omnibus Apoſtolis in Evangelio perhibentur, ut Paupertas voluntaria in conſortio Chriſti, virtus miraculorum, deſiderium patiendi cùm Chriſto, ejuſdem amor, &c. Ideóque idea ſeu character Sancti, quem laudare inſtituimus, formari poteſt ex tali virtute, de ipſo cognita, & ex ejus excellentia, neceſſitate, &c. amplificatio fieri; identidem tamen recurrendo ad ipſum Sanctum, cùm permoleſtum ſit auditori exſpectanti laudes alicujus Divi, ſi audiat longo tempore Oratorem in aliis occupari. 5. Siqua beneficia aut prodigia facta ſunt ad ejus ſepulchrum, dici poteſt de virtute SS. Reliquiarum, v. g. Utilius eſſe urbibus, ſi inſtructæ ſint Reliquiis Divorum, quàm præſtantiſſimis Medicis. Tutiores eſſe cives à ſepulchris Sanctorum, quàm à mœnibus. 6. Cùm virtus conſiſtat media inter duo extrema vitioſa, quorum alterum peccat per exceſſum, alterum per defectum (quemadmodum v. g. Fortitudo eſt media inter audaciam & timorem, Liberalitas inter prodigalitatem & avaritiam) ſi quando dubium ſit, an aliquis Sanctus quidpiam ex virtute fecerit, jure optimo virtuti tribuitur; faciliùs tamen id, in quo videri poſſet defectus, quàm id, quod accedit ad exceſſum.

sum. Sic fuga adscribetur Prudentiæ, non timori, quemadmodum S. Athanasius suam sic ipsemet excusavit. 7. Aliquoties pars laudis accipi potest à natione, à patria, à tempore duriorum persecutionum, in quo aliquis vixit, aut passus est; à parentibus, si notum est, quòd etiam ipsi fuerint pii, indéque conjectura fieri de bona educatione, & quæ ex hac consequi fierique consueverunt. Plura lectio & usus docebunt.

11. Contrà, si materia sit justo copiosior, quomodo in ea versari oportet? Resp. Discrimen hîc faciendum. Si dicatur coram auditoribus, quibus acta alicujus Sancti satìs nota sunt, unum vel alterum rarius factum seligendum est, quibus Partitio definiatur, & tractandum eo modo, quem dixi cap. præc. n. 4. Si verò vita istius Sancti plerisque parùm cognita sit, non ipsis satisfiet, si velut ex ungue leonem, i. e, ex uno vel altero facto reliqua ipsius ornamenta conemur ostendere, conjecturâ cæterorum auditoribus permissâ. Quoniam verò intra unam horam omnia velle tangere, quæ integrum librum exigerent, parùm prudentis est; nec ratio bene ordinatæ orationis & oratoriæ amplificationis permittit etiam *plurima* vel *potiora* facta diffusiùs enumerare, cuilibet planum est, selectum esse faciendum, ut & magna existimatio de tali Sancto novis auditoribus ingeneretur, & suus elo-

Copia in iisdem nimia.

eloquentiæ locus simul relinquatur. Itaque sicut ubi materia non penitus nulla, sed aliqua saltem, adest, virtutes non debent amplificari per species, sed per actus varios latiùs recensitos; ita vice versa, ubi materia redundat, non facta singularia, sed virtutes per capita seu species amplificandæ sunt, nec facta adducenda, nisi exquisitiora, eáque non prolixè, ne aliis tempus subtrahatur. Sic dicetur v. g. de S. Franc. Xaverio: *Obstupuerint Venetiæ ipsius charitatem in pauperes, cùm in Nosocomio, &c. Lusitania studium orationis ardentissimum admirata sit, quando, &c. Laudet ille mercator singularem prudentiam in animarum zelo, cujus à latere abstraxit, &c. Ego verò potiùs de prædicabo, &c.* Qua laudandi methodo illud simul efficitur, ut multa, quæ reipsa sunt aliis minora, in illa congerie cum magnis singula æqualis magnitudinis videantur.

III. Atque hæc sunt, quæ de præceptis oratoriis eâ, qua licuit, brevitate proponenda existimabam. Quorum usus, ut facilior evadat, præcipuè verò, ut modus amplificandi per Argumentationes meliùs capiatur ab iis, qui hactenus eum non ita perspectum habuerunt, diversa orationum & Argumentationum paradigmata in sequentibus capitibus subiicio. In his non exspectentur integræ suísque numeris absolutæ orationes, quas perficere nec animus est, nec necessarium ad finem huic libello propositum.

tum. Potiùs igitur orationis initia, ideam, & prima velut lineamenta demonstro, quibus inspectis incipientes faciliùs assequantur methodum in scribendis orationibus servandam. Quocirca solùm primarias partes, sine addito ornatu obiter tantùm indico. Qui plures modos variandi orationes desiderat, adeat libellum *P. Casimiri Wyuk Koialovvicz S. J.* Lithuani Antuerpiæ editum An. 1668. sub hoc titulo: *Modi* LX. *sacræ orationis variè formandæ.* Si cui fortè non placeat modus ille orationes Argumentationibus comprehendendi, cùm reliqua nihilominus præcepta pro quibuscunque orationibus serviant, primo loco Paradigma orationis, sine argumentatione factæ, subjungo.

CAPUT VII.

Paradigma I. orationis, quales vulgò fiunt sinè argumentatione.

In illa verba ex Evangelio Dominicæ VI. post Pentecost. *Deficient in via.* Marc. 8. v. 3.

Argumentum Orationis: *Anima sæpius nutrienda in solitudine, ne in via ad cælum deficiat.*

1. PRima *designatio hujus orationis*, de qua dictum est L. 2. c. 1. n. 7. *Exordii* materia: Christus per multiplicationem panum in solitudine docet, debere nos animam nostram

ſtram, ſicut ipſe corpora ſe ſequentium, paſcere in ſolitudine, ne deficiat in via. Solitudo animæ eſt ſeceſſus à turbis & negotiis ad tempus. *Propoſitio.* Et hanc ſolitudinem debemus frequentare, ut in ea paſcamus animam, niſi velimus deficere in via ad cœlum. *Partitio.* 1. Hoc eſt neceſſarium. 2. Modus eſt facilis. 3. Tempus nobis ad hoc non deeſt. *Confirmatio* habet tria argumenta, adeóque & tres partes, quæ ſumuntur ex Partitione modò facta, & amplificantur ſicut poſtea oſtendam. *Epilogus.* Adhortatio ad iſtud medium ſalutis frequenter arripiendum. En hîc paucis verbis materiam orationis conceptam, quæ ſic dilatatur.

11. *Exordium.* Prodigium ſeptem panum, à Chriſto ita multiplicatorum, ut, &c. contigit in quadam ſolitudine, fuítque non tam effectus divinæ Omnipotentiæ, Providentiæ, & Bonitatis, quàm Sapientiæ nos inſtruentis, ut eandem curam animæ noſtræ impendamus, quam ipſe corporibus ſe ſequentium exhibuit, ut videlicet eam in ſolitudine paſcamus, ne in via ad cœlum deficiat. In ſolitudine, quam ſibi optâſſe videtur. *Job c. 3. 14. Requieſcerem cum Regibus & Conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines.* Lyranus hîc intelligit per Reges eos, qui motibus inordinatis carnis & animi imperant; per Conſules, à conſulendo dictos, qui ſibi & aliis bene conſulunt; per ſolitudinem receſſum à tur-

turbis negotiorum, ut solis nobis vacemus. Itaq; ut clariùs edisseram, si nolimus deficere in via cœli, sed concupiscentiis nostris imperare, quæ ab aditu cœli impediunt, atque idcirco nobis bene consulere, docemur frequenter nobis ædificare solitudines, in quibus animam curemus; h. e. seponere tantisper negotia, ut saluti, negotiorum summo, unicè vacemus, eúmque in finem sacris quibusdam meditationibus animam pascamus. Displicet hæc oratio. Plerique dicunt, non vacare sibi tempus ad talem secessum otiosum; nec, si vacaret, scire se, quomodo in eo se deberent occupare. *Propositio.* Contrà ego aio, talem secessum esse summè necessarium, cùm sine hoc anima deficiat in via ad cælum. *Partitio.* Et ne quis deinceps arbitretur, legitimam esse hanc excusationem, imprimis explicabo, secessum hunc non esse otiosum, aut certè otium summè necessarium. Tum si facilem modum utiliter se occupandi ostendero, nemo dicet, non scire se modum in hoc sacro exercitio se detinendi. Tempus denique sufficiens etiam occupatissimis monstrabo.

III. Confirmatio. *I. Pars Divisionis.* Novimus, plures in Mundo malos esse, quàm bonos. Ii quoque ipsi, qui boni habentur, ita boni sunt, ut planè suis bonis plura mala, vel minùs perfecta opera habeant admixta. Quid ita? Natura nostra corrupta ad ma-

malum prona est, *Gen.* 8. 21. Bonum, juxta Philosophos, ex integra causa, malum ex quolibet defectu, &c. Virtus ardua est, & in medio duorum extremorum sita, quæ vitiosa sunt. Unica via ducit ad virtutem, plures ad vitiosa extrema. Versamur igitur *in medio nationis pravæ & perversæ. Phil* 2. 15. Videmus plura mala & imperfecta, quàm bona. Natura nostra æquè corrupta & ad malum prona est, ac aliorum: Faciliùs vitium facile, ad quod tot semitæ ducunt, sectatur, quàm virtutem arduam; nec in aliquo gradu vitii consistit, sed suapte contendit ulteriùs, donec in profundum peccatorum delapsa pereat. Quis itaque de se præsumat, se in medio malorum diu fore bonum, &c. nisi exquisitam curam salutis suæ stabiliendæ adhibeat, animum roboret, &c? Sæpe nos graviter lapsos esse, aut certè de tali lapsu periclitatos, deprehendimus; & tamen damnum dissimulamus. Similes mercatori, in rem suam non satìs intento, qui ex particularibus suis Rationibus animadvertens, non levia se dispendia fecisse, defectui occurrere non curat: hic in universalibus advertet, se non esse solvendo. Sic nos in Judicio divino, &c. Sicut igitur navus mercator, mox ubi damnum conspicit, studiosè examinat, unde id oriatur, quomodo possit succurrere, &c: Ita, nisi idem faciamus, coram cælesti Patrefamiliæ, totius vitæ ratio-

rationes exacturo, minus habentes inveniemur, &c. Horologia rotata frequente cura indigent; nam Index movetur à rotis, rotæ à ponderibus, quæ mole sua deorsum tendunt: nisi hæc pondera sæpe attollantur, horologium stabit, index horas malè designabit. Opera nostra sunt index, qui prodit, quid in motibus animi, velut rotis quibusdam, agatur. Habemus appensa pondera, semper deorsum trahentia, carnem, dæmonem, occasiones, &c. Nisi ista pondera per curam inspectionis ac directionis perpetuæ ad Deum sursum trahamus, index boni, opera videlicet nostra, stabit; imò quæ non vitia NN. paulo post indicabit! Quid consilii? Ædificemus nobis solitudines; dimittamus paulisper negotia, initis rationibus inspiciamus, in quibus, & quas ob causas defecerimus; dicta pondera per sanctas meditationes ad Deum & cælestia tollamus. Nisi hoc fecerimus, considerata naturæ nostræ constitutione, &c. sensim usque ad infernum deficiemus, &c. Hoc initio defecerunt *in via*, quotquot usque ad ima vitiorum descenderunt, quòd nunquam animam speciali ejusmodi vigilantia curârint. Contrà majores Sancti tali inspectione animæ & cura ad insigniorem perfectionem evaserunt, utì constat de S. Carolo Borromæo, S. Francisco Salesio, S. Ignatio, &c. *His plura addere facile est.*

IV.

IV. 2. *Pars Divisionis.* Satis hæc ostendunt necessitatem ædificandi sibi solitudines, & animam in iisdem curandi. Sed ais, nescire te modum, quo in tali solitudine possis teipsum occupare; quid debeas agere, quomodo tempus utiliter insumere? Quæro ego vicissim: Quid fecisses aliàs eo tempore, quod ad exercitium, saluti animæ tam necessarium, suadeo seponere? Egissem, inquies, cum familiaribus. Bene habet: Id age tecum ipso, quod tam libenter cum notis tuis agitas. De te apud teipsum malè loquere, detrahe tibi ipsi. Inspiciendo cor tuum, dic: Ecce cor superbum, iracundum, &c. Scrutare, quod vitium sit primarium, ex quo cætera velut ex fonte promanant. Inquire, quibus ex causis, in quibus occasionibus deficere soleas. Et sicut de vitiis aliorum loquendo nôsti definire, quid, quo modo agere, quibus mediis se corrigere deberent; Ita *Medice cura teipsum. Luc.* 4, 23. tibi ipsi modum præscribe vitæ corrigendæ, media excogita, &c. Ut verò firmiora sint, quæ formabis, emendationis decreta, assume aliquam meditationem de quadam veritate nostræ Fidei, quam maximè cor moturam arbitraris. An etiam istas ignoras? Quid magis obvium? Quid Christiano debet esse familiariùs notum quàm Mors, Judicium, Infernus, Cælum, Vita Christi, &c. quæ ita contempla-

re,

re, ut cogitationem identidem ad animæ tuæ ſtatum reflectas, & agenda in poſterum ſtatuas, præviſis occaſionibus particularibus, in quibus te vincere debeas. Cur non ipſum malum animæ tuæ ſtatum in meditationis iſtiuſmodi materiam aſſumis? Non poteſt huic exercitio fructus deeſſe, in re ſummi momenti, qualis eſt negotium ſalutis. Et tamen quid facilius? &c. Difficilis videtur inexperto: Periclitare, &c.

v. 3. *Pars Diviſionis.* Quoties verò iſte receſſus eſſet inſtituendus? Quò ſæpius, eò melius. Quidſi ſaltem ſingulis menſibus ſemel? Reclamas; temporis defectum obiicis. Tempus non habes? Ita eſt; totum negotia officii ſibi vendicant. Si hoc verum eſt, profectò tali receptu præ aliis indiges; ſignum enim eſt, totum te rebus terrenis ita occupari, ut vix tempus habeas de tua ſalute cogitandi. Res eſt, miſeráne magìs, an auditu horrida? Chriſtianus dicit, ſe non habere vel horam ſingulis menſibus, quam poſſit tribuere ſibi ſoli, negotio æternitatis, & Deo, propter cujus ſolius ſervitium conditus eſt! Vivimúsne in Mundo, ut ſimus in eodem felices, divites, honorati, docti, cauſidici, œconomi, &c; an verò potiùs, ut Deum glorificemus, & ſalutem conſequamur? *Porrò unum eſt neceſſarium.* *Luc.* 10. 42, videlicet ſervitium Dei, & inde pendens negotium noſtræ ſalutis: reliqua omnia & inutilia &

crepundiæ sunt. Non præscribitur huic solitudini certum tempus; & nullum penitus huic occupationi suppetere credam? Nullíne dies Festi in mense occurrunt, quibus à negotiis ferè vacatur? Pluríne in iis est lucrum ex lusu, quàm lucrum æternitatis? quies corporis, quàm animæ? Visitamus amicos ægrotos: non carpo. Sed ægrotum domesticum, animam propriam, non destituamus, quo nemo nobis debet esse charior, nemo magìs languet, nemo majore cura indiget. Curamus negotia, unde vitæ sustentandæ necessaria acquirimus. Cur non negotium unicum & primarium, propter quod conditi sumus, ut certam nobis reddamus vitam æternam? Si hæc ipsa negotia nos impediviſſent à refectione corporis, nos minimè excusaremus defectu temporis, ne proxima occasione tempus manducandi quæreremus; & per ea nos à nutrienda anima excusamus? *Nónne anima plus est quàm esca?* *Matth. 6. 25.* Plurísne facimus corpus, quàm animam? Estne minor hujus, quàm illius, necessitas? Si ægrotaremus corpore, si dies nobis apud Judicem dicta esset, quævis negotia seponeremus. Graviſſimè ægrotat anima tot vitiis, &c. dies Judicii divini, in quo de integra æternitate decidetur, imminet; & tempus aliis negotiis subtrahere non possumus? Quid oberit aliorum jactura, si salutis negotium succedat? Quid aliud proderit,

derit, si istud malè geramus ? Huic Sancti totam vitam impenderunt (& quomodo?) neque tamen se satis egisse existimârunt : nobis nimium sit, eidem aliquot horas dare ? Sanctus Sanctorum Christus, salutis suæ certus, triginta annis soli Deo vacavit; triennium verò illud Prædicationis, quod aliis impendit, tametsi occupatio sanctissima fuerit, quoties solitario recessu interrupit ? Et nos de salute incerti nunquam velimus profana negotia interpolare sacro aliquo, Deum & animam nostram unicè concernente ? Quàm parvi pretii est salus, si tam modico impendio est indigna ! Nimiùm egerunt Sancti, si nos nihil agendo possumus salvari, &c. Scit dæmon hujus solitudinis utilitatem : idcirco quærit ipsam tot negotiis impedire, &c.

VI. *Epilogus.* Sequamur consilium *S. Eucherii Episc. Lugdun. Epist. ad Valerian. Abrumpatur illæ interminabilis sæculariùm negotiorum catena ; primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant, summásq; sibi solicitudinis partes salus, quæ summa est, vindicet. Hæc nos occupet, jam non prima, sed sola.* Qui tam rarò negotium animæ dicto modo tractant, non diu erunt sine magnis defectibus. Qui rarò ita nutriunt animam in solitudine, &c. *Deficient in via* ad cælum. Et quò defectus iste spectabit ? an ut tantùm hæreant in via ? an potiùs, ut in-

feliciter pereant, cùm non detur medium inter salutem & perditionem,&c?

VII. His addatur ornatus, & quibusdam in locis major dilatatio, & erit oratio facili negotio absoluta. Dixi porrò in titulo hujus capitis, orationes tales fieri sine argumentatione: reipsa tamen sæpius continent Epicherema, seu argumentationem contractam & occultam, quam aliqui Syllogismum virtualem appellant, qui scilicet facilè ex hac brevi sententia fieri posset, additis huic medio aliis partibus, aut certè argumentatio alia, præsertim verò Enthymema.

CAPUT VIII.

Paradigma II. orationis factæ per argumentationes; atq; imprimis per Syllogismum, totius orationis fundamentum, ac tum per particulares argumentorum argumentationes.

In illud ex Evangelio Dominicæ II. post Pentecosten: *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cænam meam. Luc.* 14.24.

Argumentum orationis: *Communio indigna omnium peccatorum atrocissimum.*

I. Pri-

1. PRima designatio hujus orationis nititur Syllogysmo, velut fundamento, cujus Major, seu Propositio, Exordium; Minor, seu Assumptio, Confirmationem; Conclusio, seu Complexio, Epilogum efficit, juxta dicta L. 1. c. 9. n. 5. & 6. *Illud peccatum est omnium atrocissimum, quod Primò, ipsum Deum invadit speciali modo malitiæ; Secundò, ab eodem severissimè punitur; Tertiò, difficillimè remittitur. Peccatum indignæ Communionis est tale. Igitur omnium peccatorum atrocissimum.* Major, ut patet, continet partitionem orationis & argumenta, quæ idcirco sumitur pro Exordio, quòd certior sit, nec tanta probatione opus habeat. Minor verò controversa est, quæ tribus indicatis argumentis probatur in Confirmatione. Singula verò dilatantur his aliis argumentationibus. Primum. *Specialis ratio malitiæ est in illo crimine, quod ipsam Dei personam præsentem, eámq; actu summè beneficam, injurioso contemptu afficit. Hoc facit indigna Communio. Igitur in ipsa est specialis ratio malitiæ.* Secundum. *Cùm Deus sit sapientissimus & justissimus, illam mensuram pœnæ quodvis peccatum meretur, quam Deus ipsi infligit. Indignæ Communioni gravissimam infligit. Igitur gravissimam meretur; adeóq; atrocissimum est.* Tertium. *Peccatum, quod Deus, parcere pronus, difficillimè remittit, est gravissimum. Peccatum indignæ Communionis Deus difficillimè remittit. Itaq; est gravissimum.* Affectus huic orationi præ-

præfixus esse potest Timor aut Odium hujus peccati. Ista jam sic possunt fusiùs dilatari, cujus dilatationis solùm initia quædam ostendo.

II. *Exordium.* Quemadmodum Deum nihil magìs honorat, quàm piè religioséque susceptа Communio, utpote per quam innovatur memoria illiusDeo glorioſissimi&gratissimi Sacrificii, quod Christus olim inCruce obtulit, &c. Quemadmodum etiam nobis nihil utilius est, cùm Christus amator noster eo fine nobiscum in hoc Sacramento manere voluerit, ut nobiscum intimè uniatur, suas gratias in nos ubertim effundat, &c; ita viciſſimDeum nihil magìs offendit, nihil nobis perniciosius est, quàm communio indignè percepta. Dum *indignè* dico, non intelligo defectum sufficientis dignitatis: nam quis satìs est dignus, &c? Sed si quis illam in statu peccati gravis recipiat, vel certè sine reverentia, &c. De hac intelligendus quoque est *S. Thomas Opusc.* 58. *c.* 18. dum ait: ***Christianis maximum est peccatum, & causa plagarum, quòd corpus Salvatoris indignè suscipiunt.*** ***Propositio.*** Alia quædam scelera nonnemini atrociora, vel æquè atrocia, videbuntur; nos verò istud omnia gravitate superare videbimus, ***Partitio.*** eò quòd, primò ipsum Deum speciali quodam malitiæ modo invadat; secundò, ab eodem graviſſimè puniatur; & tertiò crimen sit sine remedio, adeóque

que difficillimè remittatur. Quæ cauſæ ſunt, ut eos, ſi qui fortè adeſſent, qui ſoleant indiſpoſiti accedere, horter verbis & nomine Chriſti : *Nemo illorum guſtabit cœnam meam.*

III. *Confirmatio.* Argumentationis I. argumenti *Major.* Tametſi ea quorumvis peccatorum conditio eſt, ut, dum peccator voluntariè Dei Legem tranſgreditur, hac tranſgreſſione Deum ipſum Legislatorem contemnat; ineſt tamen quibuſdam ſpecialis malitia, quia contemptus in peccando ſpecialibus quibuſdã adjunctis fit acerbior læſo. Quis enim non videt, graviorem longè contemptum & injuriam eſſe, ſi ſceleſtus Legislatorem præſentem, ſpectantem, prohibentem, minitantem ſupplicia, muneribus ad obediendum invitantem, ſpernat, injuriosè habeat, in cœnum coniiciat, conculcet, &, ſi poſſit, omnino perimat ? Poterítne tali facinori par pœna inveniri? &c. *Minor.* Quid verò aliud agit indignè cõmunicans ? Non offendit Deum quomodocunque, ſed invadit præſentem, &c ; in cor peccatis fœtens, velut in cloacam, abiicit; ſanguinem teſtamenti conculcat; Deum, quantum in ipſo eſt, occidit, &c. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Heb. 6. 6. Videntur alia ſcelera in comparatione hujus excuſationem quaſi permittere : licèt enim Deus Legislator ubique ſit præſens, tamen peccator non ita in reliquis præſentem cogitat,

gitat, neque peccatum in pleriſque aliis tranſgreſſionibus divinæ Legis ita conſtitutum eſt, ut Deum habeat pro objecto injuriæ, & quidem ſpecialis. Eſt is quidem injuriæ objectum in blaſphemia, deſperatione, &c; ſed quàm longè atrociore modo in Comunione indigna! In aliis peccatis Deus læditur obſcurè intellectui repræſentatus, at ſenſibus, quibus potiſſimùm in hac vita ducimur, abſens. In iiſdem peccator ipſum invadit tanquam ſibi contrarium, aut nimis moleſta præcipientẽ, &c. Sed in hoc corporis ſenſibus aliquo modo præſentem, & ita præſentem, ut per hoc ipſum Myſteriũ Fide cognoſcatur fungi munere Salvatoris, maximi benefactoris, tenerrimi noſtri amatoris. Certè non poterat nobis magìs teſtificari ſuum amorem, quàm ſe per hoc Sacramentum in cibum præbendo; quod niſi ex infinita dilectione inſtituiſſet, talem injuriam pati non poſſet. Et hæc dilectio aſſumatur in materiam odii? Summum beneficium in occaſionem contumeliæ? Ideóne manere hac ratione nobiſcum voluit, ut haberemus copiam inferendarum ipſi plurium injuriarum? Ut tantò execrabiliore ingratitudine poſſimus ipſum violare vel eo tempore, quo ad nos venit, ut ſecum nobis omnia bona largiatur? &c. Membra illa, pro nobis olim cruci affixa, denuo ad ſalutem offert: nos illa peccando velut de novo crucifigimus?

Illa

illa per ſummum contemptum in cænum peccatorum abiicimus? *Concluſio.* Quid poteſt horribilius excogitari? quæ tetrior injuria concipi? Juſta contra illam indignatione ſuccenſus Paulus verbis graviſſimis tanti facinoris enormitatem exaggerat. *Quicunq;*, ait, *manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* 1. Cor 11. 27 q. d. reus erit Chriſti velut iterum crucifixi, &c. Et infra: *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Indignè,* &c. contra ſacrilegos convivas Menſæ Domini; *Non dijudicans corpus Domini*, ab alio vilicibo ſcilicet, propter eos dicitur, qui vel ſine reverentia, vel ſine debita diſpoſitione communicant. *Judicium ſibi, &c.* id eſt, quocunque ex duobus his modis indignè quis accedat, non tam Chriſtum & ejus cæleſtia dona, quàm ſuum Judicem, pœnas ſibi factæ injuriæ exacturum, intra ſe recipit. Cohorrescimus, dum audimus contumelias & contemptus Salvatoris, cùm adhuc in terris degeret. Num minor eſt cauſa horroris, dum jam glorioſus majore cum ingratitudine contemnitur & læditur, ſub ſpeciebus panis per Fidem cognitus, quàm fuerit olim offenſus à Judæis, ipſum non cognoſcentibus? &c.

IV. Argumentationis 2. argumenti *Major.* Quodſi tamen ex his dictæ injuriæ gravitas alicui

alicui nondum satis pateret, alia insuper trutinâ, eáque infallibili, eandem ponderemus, Dei videlicet æstimatione. Hic cùm sit sapientissimus, nec in cognitione rerum falli possit, ea gravitas inest huic peccato, quam ipse judicat inesse. Cúmque simul justissimus sit, ut nec excedere possit in puniendo, neq; nimis leniter plectendo velut connivere delictis, eam pœnam peccatum meretur, quam eidem irrogat; atque ita ex hac pœna illius gravitatem metiri licebit. *Minor.* Quanam igitur pœna dignam judicat indignam Comunionem? Qua dignam censere possit ac debeat, ipsi judicemus. Si unicus minùs reverens aspectus Arcæ fœderis, quæ tamen non nisi figura erat istius Mysterii, merebatur, ut quinquagies milleni & septuaginta Bethsamitæ morte plecterentur. 1. Reg. 6. 19. Si Oza eandem solùm tangendo promeritus est subita morte corruere. 2. Reg. 6. 7. quo supplicio digni erunt, qui Christum, vivam Arcam testamenti, non solùm irreverenter aspiciunt aut tangunt, sed &c? Itaque indignè accedentes puniuntur in corpore & in anima, in hac & in altera vita. In corpore per morbos & præmaturas mortes, affirmante Apostolo *l. c. v.* 30. *Idei inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* SS. Cyprianus & Chrysostomus calamitates publicas sui temporis eidem malo atribuunt. Nec desunt, qui putent, Europam hæresi puni-

punitam, & ex hac sequentibus bellis, fame, peste, &c. ob irreverentiam, contemptum, & sacrilegos usus hujus sacramenti, qui ea ætate vigebant. Est adhuc hodie armatus Deus contra similis piaculi reos. Væ audaci, &c! Verùm pœnæ animæ multò sunt terribiliores, cujusmodi sunt excæcatio intellectûs, ut tales sacrilegi cœcorum instar in infernum ruant; indéque nata cordis obduratio, & ex hac impœnitentia finalis, ut vocant, certáque damnatio. Neque hæc sine exemplis arguo. Testem te appello, infelix Juda: an non per hos gradus ad infernum descendisti? Fecit Salvator te præsente grandia miracula: non es illuminatus. Ferventissimam habuit orationem, demisit se usque ad lotionem sordidissimorum tuorum pedum, conscium se tuorum consiliorum prodidit, minatus est, amicum in horto vocavit: omnia frustra; non es motus. Cæcus, obduratus, impænitens laqueo te suspendisti ad orcum præcipitandus. Quam aliam ob causam, nisi quia indignè Corpus Dominicum manducâsti? *Conclusio.* Audite hæc reliqui Judæ fratres! Sic indigna Cõmunio plectitur. An pœnæ non satìs sunt graves? An nimiæ, quas infinita Sapientia & Justitia admetitur? Si gravissimæ sunt, justæ tamen, an malum, cui destinantur, non jure vocatur atrocissimum? &c.

v. Argumentationis 3. argumenti *Major.*

Sed

Sed scilicet pœnitentiam agere decernimus de Comunione malè peracta. Quidsi dicerem, hanc pœnitentiam nunquam secuturam? eam fieri non posse? Deum, alioquin ad ignoscendum propensissimum, in hoc peccato remittendo esse difficillimum? Et tamen hæc quoque inter alias est ipsius animadversio gravissima, quæ criminis enormitatem, si quid aliud, maximè demonstrat. *Minor.* Suffragatur certè hujus assertionis veritati experientia, qua constat ex multorum ruinis, rarissimè ad frugem redire, qui hoc Sacramentum indignè frequentant. Eandem confirmat Doctor gentium: *Voluntariè peccantibus nobis* (præcipuè per Comunionem indignam) *jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam exspectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens Legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcârit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit? Heb.* 10. 26. (Explicari potest hic locus ad præsens argumentum) Solus JEsus Christus, hæc adorabilis hostia, pro nobis quotidie oblata, potest placare iram divinam; solus ipsius Sanguis nostra crimina eluere. At si huic victimæ contumeliam facimus, si ex hoc sacrificio pro peccatis famus sacrilegium, si Sanguinem Christi conculcamus, si hic pro eo, ut nos Deo reconciliet,

ciliet, vindictam clamet, &c. ubi deinceps habebimus remedium? si noster advocatus fiat adversarius, quis alius intercedet? &c. Permisit Heli per filios fieri profanationem sacrificiorum legalium, quæ itidem istius sacrificii mera figura erant. Quid Deus? *Idcirco juravi domui Heli, quòd non expietur iniquitas domûs ejus victimis & muneribus usq; in æternum.* 1. *Reg.* 3. 14. Minúsne idem læditur, aut leniùs puniet profanationem & injuriam vero sacrificio, quàm umbræ factam? Minùs sentiet indignè tractari Filium, quàm pecora? *Conclusio.* Quodsi ipsi dolet, Filio suo contumeliam inferri, minùs hauddubiè idcirco placabitur, &c. Et erit ullum crimen atrocius, quàm cui spes placationis ademta est? &c.

VI. *Epilogus.* Quæ non eò dicta sunt, ut quidam suæ dignitati nimiùm diffidentes abstineant à laudabili consuetudine sæpius cõmùnicandi; sed ut sui officii memores sint illi, qui vel non dubitant cõmunicare gravis noxæ sibi conscii, peracta quidem Confessione peccatorum, sed absque sufficiente dolore & proposito; vel qui accedunt sine præparatione, reverentia, &c. sicut ad mensam cõmunem. Hi seriò demum cogitent, quàm tetro crimine Deum ipsum invadant, quantas pœnas mereantur, quàm ægrè veniam talis injuriæ sint percepturi. Ad quæ pericula longiùs arcenda præcipit Pau-

Paulus: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat* 1. Cor. 11. 28. Probet seipsum, conscientiam expurgando, &c. Probet animum, disponendo variis virtutum actibus (hîc modus aliquis breviter potest indicari) Quisquis verò istud non agit, vetitum sibi nôrit accessum ad Cœnam Domini, illis Christi verbis: *Nemo virorum, &c.* Aut si nihilominus adire non dubitet, certus sit, hunc cibum Angelorum sibi fore causam perditionis.

Aliud argumentum.

VII. Aliàs quandò *Major* magìs dubia est, hæc Confirmationem efficiet, *Minor* verò Exordium, ut in sequente argumento pro eodem die, in eadem verba: *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Argumentum: *Defectu Fidei & Charitatis non proficimus ex tot sacris Communionibus.* Argumentatio primaria: *Si ad hoc Mysterium Fidei afferremus Fidem, studiosiùs nos pararemus; Si Charitatem, appareret fructus. Sed nec studiosè nos paramus, nec apparet fructus. Igitur non afferimus Fidem & Charitatem.* Prima pars Divisionis amplificatur his argumentationibus, ex quibus facilè perspiciuntur etiam argumenta. 1. Credimus indignam futuram fuisse B.V. in qua Christus habitaret, si ante Incarnationem fuisset peccatis maculata: Ergo dum nos ad Christum recipiendum non paramus peccata expurgando, non afferimus illam fidem actualem, quòd eundem Deum recepturi

pturi simus, quem B. V. utero gestavit, aliàs eum non auderemus imundi recipere. 2. Si Christum sciremus corporea specie venturum in domum nostram, ídque verè crederemus, eam honoris causâ mundissimè purgaremus. Igitur cùm cor non mundemus, non habemus actualem fidem, quòd ad cor nostrum veniat. 3. Peregrini Jerosolymitani maximâ reverentiâ colunt loca Christi vestigiis sacrata, quia credunt, eum illa sacrâsse. Itaq; si crederemus cor nostrum Christi præsentiâ in prioribus Communionibus fuisse sacratum, majore reverentiâ illud à sordibus immaculatum custodiremus, & ad futuras Communiones hoc ipso medio disponeremus, &c. Secundæ partis argumentationes: 1. Sentiunt Theologi cum S. Dionysio, effectum hujus Sacramenti esse nostram sanctificationem per plenitudinem gratiæ; nec imeritò. Gratia autem respondet Charitati. Ergo ubi gratiæ augmentum ex vitæ sanctitate non apparet, Charitas defuit. 2. Quod Passio Domini fecit in Mundo, hoc Sacramentum Eucharistiæ facit in homine. S. *Thom.* Sed Passio Christi sustulit peccata Mundi, repressit tyrannidem diaboli, expulit vitia, &c. Ergo idem deberet operari in homine hoc Sacramentum. Sed *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. *Petr.* 4. Ergo cùm in nobis peccata non tollantur,

deest

deest charitas. Dilatationis modus est idem, qui in præcedente oratione.

Rursus aliud.

VIII. Alius modus est in sequente argumento, in quo Probatio Assumptioni, seu Minori, addita priorem partem Divisionis, Assumptio autem posteriorem efficit. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Joan. 10. v. 14.* Argumentum: *Qui non amat Dominum nostrum Jesum Christum habet in se notam reprobationis.* Ratiocinatio primaria: *Non est ex ovibus Christi, quisquis Christum pastorem non cognoscit. Non cognoscit Christum pastorem, quisquis ipsum non amat; neq; enim potest cognosci, quin ametur. Igitur non est ex ovibus Christi, quisquis ipsum non amat.* Argumentatio 1. partis. *Christus verè bonus pastor nihil in se habet, quod non provocet intensum amorem. Ergo non potest verè cognosci, quin ametur.* Argumentatio 2. partis. *Christus non cognoscit pro ove sua illum hominem, qui ipsum non cognoscit pro Pastore; non cognoscit ipsum pro Pastore, qui non amat; non amat, qui ejus mandata non observat, cùm ipsemet dicat: si diligitis me, mandata mea servate; aut qui non conatur ipsi similis esse; nam amor similes invenit aut facit. Itaque Christus non agnoscit pro ove sua illum hominem, qui vel ipsius mandata non servat, vel similis ipsi esse non conatur. Qui ex ovibus ipsius non est, reprobus est, &c. Ergo, &c.*

CA-

CAPUT IX.

Paradigma III. orationis, in cujus Syllogismo Major & Minor indigent probatione.

In illud ex Evangelio Dominicæ IV. Adventûs : *Venit in omnem regionem Jordanis prædicans Baptismum Pœnitentiæ. Luc. 3. v. 3.*

Agumentum orationis. *Vix ullus peccator agit veram Pœnitentiam.*

1. *Prima designatio hujus orationis.* Innititur imprimis tota huic Syllogismo, ceu fundamento : *Ad veram Pœnitentiam requiritur 1. ut peccator ad Deum convertatur, 2. Ut ei satisfaciat satisfactione proportionata, 3. Ut corrigat sua peccata. Hæc tria vix ullus peccator agit. Igitur vix ullus peccator agit veram Pœnitentiam.* *Exordium.* Omnibus peccatoribus necessaria est Pœnitentiæ virtus, de qua sola hîc sermo est, non verò de Pœnitentia, prout ea est Sacramentum. *Confirmatio,* facienda ex Majore argumentationis primariæ, quæ Major Divisionem continet. Hujus singulis membris continuò subjungitur Minor illius Syllogismi generalis, hoc modo. Argumentatio 1. partis : *Ad veram Pœnitentiam exigitur, ut peccator ab illicito usu creaturarum se convertat*

ad Deum. Vix ullus ita se convertit. Igitur, &c. 2. Partis. *Postulat eadem, ut Deo satisfiat pro injuria, per peccatum illatâ, tali satisfactione, quæ aliquo modo injuriam æquet. Vix ullus ita satisfacit. Igitur, &c.* 3. Partis. *Ad eandem necesse est, ut peccator vitam corrigat. Vix ullus corrigit. Igitur, &c. Epilogus.* Ex his constat, quòd plerorumque Pœnitentia sit tantùm ficta. Interim manet certissima ipsius necessitas, nisi velimus perire. Adduntur breviter causæ illam non differendi in alteram vitam. Quæ omnia sic amplificantur.

11. *Exordium.* Pervellem hodie verbulum de agenda Pœnitentia, non quæ Sacramentum, sed quæ virtus est hujus nominis, hoc loco proponere, si bonâ Auditorum veniâ mihi liceret. Quid istud argumentum, dicetis forsitan, ad Mundanos? hæc coram Religiosis proferantur, qui Pœnitentiam suo statu profitentur. Itane verò? Solis Religiosis Pœnitentia convenit? Putabam hactenus, esse rem omnibus in commune peccatoribus necessariam. Certè Ecclesia hoc tempore omnes promiscuè fideles illis verbis Præcursoris hortatur: *Pœnitentiam agite, &c. Matt. 3. v. 2.* Num Christus exceptionem aliquam fecit, quando bis eadem occasione dixit: *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13. v. 3. & 5.* Quid? quòd scopus prædicationis Christi fuerit exhortatio ad Fidem & Pœnitentiam, utpote qui conciones

ciones suas auspicatus est ab illo : *Pœnitemini, & credite Evangelio. Marc. 1. 15.* indicans, tam necessariam esse peccatoribus Pœnitentiam, ut salventur, quàm necessaria est Fides in Christum, ut quis fiat christianus. Quid multa? De hac necessitate dubium esse nequit, nisi apud illos, qui curam salutis deposuerunt. Majus dubium est, an Pœnitentia, sic necessaria, reipsa etiam agatur? *Propositio.* Ausim dicere, vix ullum peccatorem agere veram Pœnitentiam. *Partitio.* Ad hanc enim requiritur, imprimis ut peccator ab illicito usu rerum creatarum ad Deum convertatur; deinde ut Deo satisfaciat pro injuria illata, satisfactione aliquo modo injuriam æquante; demum ut peccata corrigat. Quæ cùm vix ab ullo fieri ostendero, pauciſſimos veram Pœnitentiam agere judicabimus, unáque, quid nostrarum partium sit, discemus.

III. *Confirmatio.* Argumentationis 1. Membri Partitionis *Major.* Pœnitentia in SS. Litteris *Conversio* vocatur : nam sicut peccator se à Deo peccando avertit, & ad creata convertit, ita necesse est, ut per Pœnitentiam se à perverso rerum creatarum usu avertat, & ad Deum convertat. Quod dum fit, Deus quoque, priùs à peccatore aversus, ad eum denuo se convertit. *Convertimini ad me, & convertar ad vos. Zach. 1. 3.* Itaque sicut peccator summum odium Deo antea peccando

exhibuit, ita nunc ſummum amorem exhibeat; contrà verò ſumum odium creatis rebus, illicitè amatis. *Minor.* Quotuſquiſque verò hoc agit? Contrarium affirmat *Jerem.* 8. 6. *Nullus eſt, qui agat Pœnitentiam ſuper peccato ſuo.* Avarus, qui peracta Confeſſione ſibi de vera Pœnitentia adulatur, tantúmne amat nunc Deum, quantum priùs opes injuſtas deperibat? tantúmne has nunc odit, quantùm nuper amavit? Cur igitur cunctatur reſtituere? Ille impudicus, &c. Ille ebrioſus, &c. *Concluſio.* Hæccine vera eſt Pœnitentia? vera converſio ad Deum? &c. Unuſquiſq; ſuos defectus conſulat, obſervétque, an verè animum, ab ipſis averſum, integrè ad Deum converterit; an verò, ſi ipſis hactenus perverſo affectu adhæſit, adhuc adſtringatur? &c.

IV. Argumentationis 2. membri *Major.* Eſto tamen, ipſum hoc feciſſe; nondum ſufficit, ut poſſit ſe verè pœnitentem appellare. *Iniquitas omnis, parva magnáve ſit, puniatur neceſſe eſt, aut ab ipſo homine pœnitente, aut à Deo vindicante*, inquit *S. Aug. in Pſal.* 58. Eſtque hæc ingens Dei Miſeratio, quòd homini, ſeipſum amanti, ſuas vices comiſerit, ut Pœnitentiâ ſponte aſſumptâ pro injuria, per peccatum illatâ, ſatisfaciat. Si in peccato nihil aliud eſſet, quàm malitia, aſſentior, quòd eidem ſatisfieri poſſet per amorem & dolorem. Si ſola ipſi ineſſet difformitas cum

Lege

Lege Dei, sufficeret hanc tollere conformiùs eidem vitam instituendo. Sed quoniam insuper complectitur offensam & injuriam Deo factam, non satìs est dolere, confiteri, séque emendare, sed necessaria est insuper satisfactio pro injuria irrogata, eáque, quoad fieri potest, peccatis æqua proportione respondens. Quia verò non constat, qualis ista proportio sit, monet iterum S. *Aug. Lib. de vera & falsa Pœnit. c.* 13. *Omnes fructus Pœnitentiæ suæ parvos habeat, nunquam credat sufficere; semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat; dolorem cum vita finiat*, & ob rationem, modò allatam, etiam satisfactionem non tam brevibus terminis definiat. Nunquid sufficit studiosè peragere Pœnitentiam à Confessario injunctam? Non sufficit. Quàm leves hodie imponuntur ob debilitatem pœnitentium, si componantur cum sceleribus, de quibus se nonnunquam accusant! Illa est tantùm conditio à Christo præscripta ad integritatem Sacramenti, & initium aliquod veræ Pœnitentiæ. Non illa jus divinæ Justitiæ limitat ad plenam satisfactionem, delictis aliquo modo respondentem, non tollit obligationem peccatoris de cætero. Ea si sufficeret, cur Deus adhuc pœnas in altera vita, etiam de peccatis, in Confessione ritè expiatis, sumeret ad sibi plenè satisfaciendum? Cur *Concil. Trid. Sess. 6. c.* 14. hortaretur peccatores, ut addant

Satis-

Satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia ? In primitiva Ecclesia pro unico peccato gravi 7. annorum Pœnitentia in cilicio, cinere, &c. injungebatur; & putabimus pro 20. 40. aut pluribus sufficere unum alterúmve jejunium, ut pro tot gravissimis injuriis Deo satisfiat? *Minor.* Jam quæro, quis sit, qui à Confessario injunctis plura curet addere, & tanta, ut sit aliqua proportio inter debitum & satisfactionem? &c. Vix ullus. Imò vix ullus hodie est magìs delicatus, quàm gravissimi peccatores. Quàm difficulter à sacro Judice recipiunt pœnas, nisi levissimas, si cum peccatis ipsorum conferantur! ut disputant! ut se excusant! ut tergiversantur! ut conqueruntur de austeritate, si quando in hominem incidunt, qui Deo, suæ, & pœnitentis conscientiæ per injunctas pœnas curat satisfacere! Verum quidem est, non præcipi hoc tempore pœnitentias tam rigidas, ut olim; attamen & illud verum est, præcipere Conc. Trident. ut curent Confessarii imponere peccatis conformes, & hortari fideles, ut ultra impositas, alias sibi ipsis sponte præscribant. *Conclusio.* Quod cùm pauciſſimi faciant, cæterorum planè Pœnitentia debitam mensuram neutiquam implet, &c.

v. Argumentationis 3. Membri *Major.* Communissimus denique, & maximè obvius

vius, Pœnitentiæ fructus atque effectus est correctio vitæ, ut non solùm à prioribus sceleribus abstineamus, sed oppositas ipsis virtutes insuper exerceamus. Avarus liberalitatem, &c. *Pœnitentes*, ait *Tertul. de Pœnit. si tamen estis pœnitentes, mutate vitam: ubi enim emendatio nulla est, pœnitentia necessariò vana.* Et Apostolus: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Rom. 6. 19. Minor.* Sæpius peccata confitemur, & confitendo proponimus vitæ correctionem. Num illa sequitur? Nunquam. Siquis in juventute deditus fuit intemperantiæ, detractioni, illicitis amoribus, &c. in iisdem hodiedum hæret, cum ipsis morietur. Nimirum non satìs seria est nostra voluntas, sed tantùm simulata, inefficax, dimidiata. Si seriò vellemus agere Pœnitentiam, sequeremur illam regulam *S. Greg. Hom. 20. in Evang. Tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrâsse.* Et infra: *Facite fructus dignos Pœnitentiæ. Uniuscujusq; convenitur conscientia, ut tantò majora acquirat bonorum operum lucra per Pœnitentiam, quantò graviora sibi intulit damna per culpam.* Vel ut ait *S. Thom. Quantum studuerit ad peccandum, tantum studeat ad bene agendum.* Videlicet, quando efficaciter aliquod peccatum volumus, quàm indefessi, quàm impertæsi omnis molestiæ sumus, donec con-

concupita obtineamus ? Habes hîc avare præscriptam regulam, quomodo bono studere debeas, quo studio beneficia largiri, non minore scilicet, quàm quo sectatus es bona aliena. Metire adolescens impudice, quàm sedulò Deo servire, templa frequentare, sensus cohibere, carnem edomare, &c. debeas; quàm impigrè scilicet nuper serviisti vitio, frequentâsti occasiones peccandi, sensibus omne frænum dimisisti, carni blanditus es, &c. Et nonne par est, ut nunc ampliora facias pro Deo verè pœnitens, quàm pro homine feceras scelestus ? &c: *studere* oportet ad bene agendum, h. e. intensâ curâ, toto conatu incumbere ad correctionem morum, non verò tanti momenti negotium instar semidormientis peragere, de quo Spiritus S. *Vult & non vult piger. Prov.* 13. 4. *Conclusio.* Propriam quisque conscientiam scrutetur: videat, quod peccatum verè emendârit, quam virtutem contrariam adeptus sit, quo studio se illi acquirendæ impenderit, cognoscétque forsitan in seipso, verissimè à me dictum fuisse, vix ullum peccatorem agere veram Pœnitentiam. *Ne hoc ipsum jam ter aliis verbis inculcatum, denuo in Epilogo iterandum sit, alius fiet pro motu voluntatis, cùm hactenus dicta ferè intellectum tantùm concernant, & speculativa sint.*

VI. *Epilogus.* Interim manet indubitata necessitas agendæ Pœnitentiæ, minitante nostro

ſtro Judice: *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Quod quidem primariò intelligendum de Sacramento Pœnitentiæ ritè peragendo, ſecundariò verò de virtute Pœnitentiæ, in eo conſiſtente, ut peccator integrè convertatur ad Deum, debito modo pro injuriis, eidem illatis, ſatisfaciat, & mores emendet. Puniri debent peccata, vel ab ipſo peccatore in hac vita, vel à Deo in altera. Sed durum eſt ſeipſum caſtigare? Fateor. Verùm *Scito, & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum. Jerem. 2, 9.* Hoc onus, ô peccator, tibi ipſi volens impoſuiſti: ferendum eſt in alterutra vita. At quàm ſtultè in alteram transfertur! *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Heb. 10. 31.* Pondera, quàm horrendè in altera vita peccata caſtigentur, quàm leniter, in comparatione illius, in hac vita etiam ab auſteriſſimo pœnitente. Et poſtquam ſatìs id perpenderis, age Dei Miſericordiæ gratias, quòd teipſum tibi reliquerit. Inſurge amante animo, atque ex dolore offenſi optimi Dei teipſum plecte, donec putes, te injuriæ aliquo modo ſatisfeciſſe. Huc applica opera pœnitentiæ; hac mente ſuſcipe morbos, moleſtias, &c.

VII. Alius modus amplificandi orationem, cujus itidem Major & Minor indigent probatione, eſt in ſequente argumento. Alterum argumentum.

Beatus venter, qui te portavit. Luc. 11. v. 27.

Ar-

Argumentum orationis : *Pii cultores B. Virginis omnia possunt apud Deum.*

Argumentatio primaria : *B. Virgo omnia potest apud Deum. Pii cultores omnia possunt apud B. Virginem. Igitur pii cultores B. Virginis omnia possunt apud Deum.*

In *Exordio* afferri possunt causæ, cur viscera B. V. dicantur beata. *Propositio*: Pii cultores omnia possunt apud Deum. *Partitionis* Pars 1. fit ex probatione Majoris, quæ est hujusmodi: B. Virgo gratiâ plena omnia potest apud Deum. *Argumentatio. Primæ admissionis amicus apud Regem liberalissimum omnia potest. B. Virgo est primæ admissionis amica, quia Mater ex merito dilectissima, apud Christum Regem cælestem liberalissimum. Quare omnia apud ipsum potest.* *Partitionis* 2. pars petitur ex probatione Minoris, hoc modo: B. Virgo, quasi per Antonomasiam, jure vocatur Mater Misericordiæ. *Argumentatio: B. Virgo quasi per Antonomasiam vocatur Mater Misericordiæ, quia Misericordiam habet veluti per naturam. Quæ Misericordiam habet veluti per naturam, in omnibus est misericors. Ergo B. Virgo in omnibus est misericors.* *Epilogus* formari potest ex conclusione argumentationis primariæ, & in eodem excitantur Affectus Fiduciæ, Amoris, &c. Quorum dilatationem breviter indico.

VIII. *Exordium.* Haud dubiè beata sunt viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium. Quis enim dubitet, quin

quin liberaliſſimus Redemptor novem menſium habitationem, & ex iiſdem ſuppeditatam ſibi SS. Humanitatem abundanter compensârit, qui futuram matrem ſuam jam in anteceſſum tot gratiis exornavit, ut ab Angelo dici potuerit *Gratiâ plena. Luc.* 1. Conſolationi id ſit ejuſdem cultoribus. Jam antea erat plena gratiis, & quidquid huic plenitudini poſtea acceſſit, in ipſos exundat. Quid inde conficio? *Propoſitio.* Devotos maximæ Virgini cultores omnia poſſe apud Deum. Quid ita? *Partitio.* Ipſa gratiâ plena omnia valet apud Deum, quod ex 1. parte propoſiti ſermonis elucebit. Mater Miſericordiæ, & gratiis, ut dixi, redundans, eas ita in ſuos clientes effundit, ut hi omnia poſſint apud ipſam, & per ipſam apud Deum efficere, quod ex altera dicendorum parte manifeſtum fiet.

IX. *Confirmatio.* Argumentationis 1. membri Partitionis *Major.* Sunt in aulis Principum nonnulli, qui ſe ſuis meritis penitus in cor Principis inſinuârunt, & vocantur amici primæ admiſſionis, h. e. &c. Talis apud Pharaonem erat Joſeph, apud Aſſuerum Aman. Hi omnia poſſunt apud Principem efficere; per hos petunt, qui gratiam volunt impetrate, &c. *Minor.* Tales ſunt etiam in aula cœleſtis Regis, tum omnes reliqui Sancti, ſed præ omnibus acceſſum & favorem habet B. Virgo, cui pro ſuis aliquid pe-

petenti nihil negatur. Hanc prærogativam adepta est præcellentibus suis virtutibus & meritis, dum cooperata est summis illis gratiis, quas Deus ipsi profusissimè contulit, & quæ ipsi, tanquam futuræ Dei Matri, ex mente Theologorum, debebantur. Sed præcipua causa, ob quam nihil ipsi negetur à Deo, est, quòd sit *Mater Dei*. Si enim Salomon dixit: *Pete à me Mater mea, nec enim fas est, ut avertam faciem tuam.* 3. Reg. 2. 20. quid Christum cælestem Salomonem erga sanctissimam Matrem suam fecisse, aut facturum credimus, de cujus in ipsam dilectione plùs quàm satìs constat? Enimvero tantùm potest apud Deum, ut ipsius supplicatio imperium quodammodo sit. *Accedis ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non rogans, sed imperans, Domina, non ancilla,* ait S. Pet. Dam. *serm.* 2 *de Nativ. Virg.* quasi Mariana oratio pro Majestate orantis sublimetur ad imperii fastigium sub habitu supplicantis, ut adeò aut Domina rogans sit, aut ancilla imperans, habeátque humilitatem rogantis cum securitate imperantis. *Fecit mihi magna, qui potens est,* inquit ipsa de se. Luc. 1. In quæ verba *idem S. Dam. serm.* 1. *de Nativ. Virg. Fecit tibi magna, qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cælo & in terra, & nihil tibi impossibile est.* Plus dixit Angelus Gabriel: *Dominus tecum.* Tecum, non solùm, sicut cum aliis, sed ut *Dominus absolutus,* imo ut *Filius omnipotens* & *benignissi-*

nigniſsimus, qui petenti Matri digniſſimæ & dilectiſſimæ nihil poteſt negare. *Quia Dominus potentißimus tecum eſt, ideo & tu potentißima es cum ipſo, potentißima es per ipſum, potentißima apud ipſum, ut verè dicere poßis: In Jeruſalem poteſtas mea. Eccl. 24. S. Bonavent. in Spec. Virg. c. 5. & 8. Te ſic Deus exaltavit, ut omnia ſecum poßibilia eſſe donaverit. Tu velis, & nequaquam fieri non poterit. S. Anſelm. de Laudib. B.V. c. 12.* Hanc ſuam potentiam ſatìs oſtendit in nuptiis Canæ, ubi licèt tempus patrandi miracula Chriſtus nondum adveniſſe diceret, inſtante tamen Matre tempus illud anticipavit. *Concluſio.* O ingens poteſtas B. Virginis apud Deum! Profectò ipſius oratio imperium eſt, cui à Deo nihil negatur, &c.

x. Argumentationis 2. membri *Major.* Jamvero ſicut Deus B. Virginem petentem ſemper exaudit, ita ipſa clientes ſibi devotos. Vocatur hæc à S. *Joan. Damaſc. ſerm. de Aſſumpt. Fons benedictionum, & bonorum omnium ſcaturigo.* Nec immeritò. Jam antequam Dei Mater fieret, erat *Gratiâ plena.* Cooperando his gratiis cum proportione ſingularum plures & ſublimiores merebatur. Jam plena, & ſic aucta, exundat, ut noſtra ſcilicet indigentia ex tali abundantia etiam repleatur, ſi ipſa velit exceſſum ſuarum gratiarum cõmunicare. Et hoc nolit illa, quæ velut per Antonomaſiam ab Eccleſia *Mater Miſericordiæ* appellatur, cui ſit contra naturam non

non benefacere? Hinc ipsam compellat S. *Pet. Dam. serm.* 44. *Moveat te natura, moveat potentia, quia quantò potentior, tantò misericordior esse debes.* A natura Virginis opem efflagitat? Ita planè. Tantæ est misericordiæ, ut non emanare in nos superabundantes gratias sit contra ipsius naturam. *Minor.* Quænam verò res, occasio, aut persona sit, cui nolit sua dona impertiri, quæ per naturam est misericors, si piè colatur, & sancta petantur, quæ scilicet saluti nostræ non adversentur? Potiùs quantùm gaudet, si habeat, cui possit benefacere? Mulier illa 4. *Reg.* 4. 2. cùm Elisæus prodigium olei multiplicati patraret, vasa mutua petiit à vicinis, cùm propria oleo capiendo non sufficerent. Vas proprium B. Virginis, anima scilicet ipsius sanctissima, jam ante Conceptionem Verbi, gratiâ plena erat. Interim oleum gratiæ non stetit, sed uberiùs à Deo in ipsam profluxit. Itaque sapienter provida, quod sibi superat, in alienis vasis, in animabus servorum, sibi piè addictorum, gaudet asservare, in quibus excessum suarum gratiarum tam largè continet, ut ipsa, plùs quàm plena, impleat quoque alios. Ideóne minùs in se habet? Nequaquam. Tam ille pretiosus gratiæ liquor, quem in propria anima, ceu vase, recondit, ipsius est, quàm is, quem in vasis alienis, nostris nimirum animabus, custodit, &c. *Conclusio.* O mitissimum clementis-

mentissimæ Virginis inventum, quæ nimiùm locuples in seipsa medium reperit alios locupletandi, quin sua perdat! Quis re sic constituta in ullo deinceps egeat? Quis ab ipsa quidquam, & per ipsam à Deo non impetret? Nec ad obtinendum opus longa petitione. Mater Misericordiæ est; ultro propendet ad effundendum. Vas tantummodo pii ac devoti cordis suppone, & gratia exuberante mox replebitur. Supponescultu, &c. *Sileat Misericordiam tuam, Virgo beata, qui te in suis necessitatibus invocatam sibi meminerit defuisse. S. Bern. serm. de Assumpt.*

XI. *Epilogus* est facilis ex dictis. In eo potest addi exhortatio ad cultum B. Virginis: in Confirmatione quoque breviter adducecere licebit exempla de Potentia, Beneficiis, & Misericordia B. Virginis, quibus pleni sunt libri.

CAPUT X.

Paradigma IV. Argumentationis primariæ per Enthymema factæ.

In illud ex Evangelio Dominicæ I. Adventûs: *Tunc videbunt. Luc. 21. v. 27.*

Argumentum orationis. *Peccatores videbunt in Judicio apertum, quod voluerunt tectum;*

& de eo conclamatum, quod maximè sperabant.

1. *Prima designatio hujus orationis*, cujus fundamentum est hoc Enthymema : *Peccatores voluerunt sua peccata esse occulta, quæ à Sapientia Dei omnia palàm detegentur : sperabant eorundem vel pœnitentiam vel impunitatem, de qua videbunt conclamatum. Igitur, &c. Exordium.* Duplex spes facit homines audaces ad peccandum, spes tegendi crimen, & spes impunè delinquendi. Verùm Deus peccatis irritatus hanc geminam spem impiorum confundet. *Propositio* & *Partitio* ut supra in argumento. *Confirmatio* ex Antecedente, seu priore parte Enthymematis formatur. *Epilogus* ex ejusdem altera parte, quæ à Philosophis Consequens vocatur. *Affectus.* Fuga peccati ob severitatem Judicii divini, & in eodem publicum pudorem peccatoris.

Argumentatio 1. partis : *Nihil reddit homines ad peccandum audaciores, quàm opinio, patratum crimen mansurum in occulto : Igitur Deus Judex, qui omnia scit, occulta in pœnam omnibus deteget.*

Argumentatio 2. partis : *Impii maximè sperabant in hac vita obtinere veniam scelerum. Sed in Judicio videbunt de venia esse conclamatum. Igitur videbunt de eo esse conclamatum, quod maximè sperabant.* Vel sic : 1. *Deus est Judex, qui omnia scit : Igitur peccator erit manifestè convictus.* 2. *Deus est Judex, qui nihil condonat : Igitur peccator erit certò condemnatus.*

Exor-

II. *Exordium.* Duæ sunt spes, quæ homines audaces faciunt ad peccandum, quarum utracunque tollatur, aut omni ratione carent, aut nunquam præsument peccare. Sperant peccatum mansurum in occulto. Et ita plurimi peccatores astuti possunt sua crimina tegere in hac vita, ne appareant hominibus tales, quales sunt. Sperant insuper, fore, quantumcunque peccent, ut facili pœnitentia peracta effugiant horribiles pœnas, quas sciunt peccato destinatas. Sed utraque hæc *Spes hypocritæ peribit. Job.* 8. 13. Deus istis peccatis irritatus utramq; hanc spem evertet, & in pœnam oppositum palàm statuet. Hæc futura cæci nunc non prævident: atq; *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* *Deut.* 32. 29. Veniet tempus, &, serò licèt, *Tunc videbunt,* Quando? In judicio divino. Quid videbunt? *Propositio & Divisio:* Videbunt occultissima sua scelera Deo fuisse aperta, atque ad intolerabilem pudorem toti Mundo aperienda. Videbunt cum incredibili dolore & desperatione elapsum esse speratum illud tempus facilis pœnitentiæ; vicissim spem omnem veniæ in æternum esse exclusissimam. Hæc modò in antecessum videant, & *Tunc videbunt* meliora.

III. *Confirmatio.* Argumentationis 1. partis *Antecedens.* Quis tam perfrictæ impudentiæ, suíque honoris ita incurius est, qui probrosum aliquod crimen patrare aggrederetur,

tur, si certò præsciret, illud paulo pòst urbi alicui integræ propalandum? Pauci, ut opinor, sunt, etiam ad peccandum alioquin audaciſſimi, qui non velint latere, quod maximè desiderant malè agere; qui peracta crimina non studiosè tegant, etiamsi securi sint, pœnas nullas imminere. Atque ita ingenioſi quidam hypocritæ totâ vitâ censuram oculorum humanorum evadunt quidem: at, num etiam Dei ubique præsentis, omnia, etiam arcaniſſimas cogitationes, intimè pervidentis, cognitioni se subtrahunt? Id verò non sperent. Sed parùm curant scilicet patere Deo, modò hominum, quos plùs curant & metuunt, oculos & sermones effugiant. Idcirco peccare pergendo Deum graviſſimè ad iram concitant, & ad vindictam commovent. Tandem longanimitate ipsius satìs fatigata, & peccatorum mensurâ impletâ, manent quidem hominibus in hac vita incogniti, verùm ut ad majus supplicium omnibus in altera manifestentur. *Consequens.* Annotata sunt omnia scelera apud Deum omnia scientem, imò in libris propriæ cujusvis hominis conscientiæ. Obliviscimur nunc quorundam, dum una species materialis subsequens antecedentem quasi obtegit ac sepelit. Sed nihil perit. Anima à corpore separata sciet & videbit sua omnia. In Judicio præsertim: *Libri aperti sunt. ... & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm*

cundùm opera ipsorum. Apoc. 20. 12. Non est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palàm veniat. Luc. 12. 17. In die, cùm judicabit Deus occulta hominum. Rom. 2. 16. Quàm intolerabilis erit hæc pœna, ab irritato Deo inventa, ad inimicos suos severissimè plectendos! Quid animi tibi erit peccator, ubi tua crimina patere omnibus animadvertes? Quid pudor nunc apud te possit, satìs nôsti. Quid? si crimen aliquod ex tuis infamius solus aliquis conscius tantùm coram his præsentibus palàm evulgaret? nunquid mori malles, quàm dedecus tale sustinere? Et tamen posses negare; posset alter falsi suspectus esse, quorum nihil in Judicio tuam coram non paucis aliquibus, sed omnibus, ignominiam minuet. Et Deus veracissimus & Deo testis tua conscientia, omnibus tunc aperta, id promulgabunt, quod vel uni homini in sacro Tribunali ita committere erubuisti, ut damnationis æternæ aleam eligere malles. Possunt hîc excusari flagitia, quorum omnem gravitatem cum adjunctis, eadem exaggerantibus, supremus Judex orbi prodet. Itaque tunc nocturni conventus illi, non, sicut vocare soles, honesta recreatio, sed scelesta commercia audient; sinistri de proximo sermones non cura salutis alienæ, sed injusta denigratio famæ appellabuntur; &c. Non eris tunc tam leviter reus, qualem te in sacro Tribunali tuæ

excusationes faciunt; jam non omittentur ea, quæ peccatum gravius ostenderent, uti scandalum iisdem proximo datum, & quæ sunt ejusmodi, sed addetur: *Ponebas scandalum. Hæc feciſti & tacui. Exiſtimâſti iniquè, quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Intelligite hæc, qui obliviſciminiDeum. Pſal.*49. 21. *&c.* Atverò quanta cum rabie frustra indignantis peccatoris hæc aliáque tunc patebunt! *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet; deſiderium peccatorum peribit. Pſalm.* III. 10. illud videlicet, quo optabat sua tenere occulta. Vita nostra libro clauso similis est, in quo quid scriptum sit, nescitur; una pagina tegit alteram, uno scelere velatur aliud scelus. Sed in Judicio *Libri aperti ſunt, &c.*

IV. Argumentationis 2. partis *Major. Tunc videbunt* quoque conclamatum esse de altero, quod sperabant, fore scilicet, ut scelera sint impunita, vel non nisi leviſſimâ pœnâ solvi debeant. O quantos ista spes decepit & perdidit! Imaginamur nobis ob facilitatem pœnitentiæ, licere tantò audaciùs delinquere; opus tantùm esse accusatione sui, & verbis dolorem præferentibus, ac tum recitatione quarundam precum, in pœnam impositarum. Interea dolor ille non procedens ex corde verè contrito, non serius nec propter Deum offensum conceptus, non, ut oportet, conjunctus cum firmiſſimo emendationis proposito

posito, est irritus, & confessio reipsa sacrilegium; peccata manent in anima, quæ dum sibi tam facilè satisfacit tali specie pœnitentiæ, in iisdem moritur & perit. Hæc videbunt impii in altera vita, & agent pœnitentiam, sed irritam: *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes. Sap.* 5.3 Fatebuntur sua scelera, sed frustra: *Ergo erravimus. Ib.* In hac sola vita pœnitentia est utilis, &c. *Non demoreris in errore impiorum; ante mortem confitere; à mortuo quasi nihil perit confessio. Eccl.* 17.26. *Minor.* Hæc modò peccatores non considerant, sed spe facilis veniæ peccata peccatis cumulant, qua se deceptos serò sentient. *Tunc videbunt*, in altera nempe vita, spem nullam sibi supereſſe; nullum institutum in illa medium ad abolenda peccata gravia, sicut in ista vita; nullam ibi esse gratiam & remissionem, sed meram Justitiam. Ibi Sanguis Christi non ampliùs habet vim dealbandi animas reorum. Mater Misericordiæ non ultra erit Refugium peccatorum. Sancti Patroni non jam intercedent; imò *Tunc stabunt Justi in magna constantia adversus eos. Sap.* 5.1. Verbo, nulla pro ipsis erit misericordia, mera rigidissimáque apparebit Justitia. &c. *Tunc videbunt* igitur, quòd sint perditi in æternum sine remedio. *Tunc videbunt*, quòd hoc, illo, illis peccatis incurrerint odium Dei æternum, necessarium, infinitum. *Conclusio.* Est hoc odium æternum: Itaque *Tunc vide-*

videbunt, quòd in æternum sit conclamatum, quòd nullum momentum sit futurum, in quo non sint infaustissimos ipsius effectus sensuri. Est odium necessarium: Igitur *Tunc videbunt*, quòd illud æquè parùm possit desinere, quàm parùm Deus potest desinere esse Deus. Est denique odium infinitum: Adeóque *Tunc videbunt*, quòd inde orta vindicta per infinitæ acerbitatis tormenta sit exserenda. *Tunc videbunt*, id ad maximam suam ignominiam toti Mundo patescere, quod maximè tectum volebant, & spem omnem veniæ obtinendæ esse desperatam ac perditam.

V. *Epilogus*. Credimúsne terribiles has veritates? Si non credimus, serò nimis eas ex suis effectibus credemus. Si credimus, & peccare nihilominus audemus, planè omnino ratione destituimur. Utinam nunc frequenter oculis mentis intueremur intolerabilem illum pudorem, qui coram oculis totius Universi exspectat scelera occultè perpetrata, quantopere in occasione peccandi nos ille coërceret! Utinam perpenderemus desperationem ob non peractam pœnitentiam synceram, quàm avidè nunc illam arriperemus, etsi duplò durior esset! quàm firmiter statueremus, nunquam deinceps peccare! quàm longè occasiones excluderemus, &c, ne morte præventi videamus actum esse de spe veniæ! &c. Ratum est; jam nunc oculos aperiam, &c. Hodie adhuc cum in-

intenso dolore Confessario exponam, quæ hactenus fateri erubui. Hodie ordiar præterita delicta castigare, nec deinceps castigatione simili digna committere, &c. Vale pestilens societas, &c. Illa occasio procul imposterum sit à me, &c. Ædes illæ perniciosæ non ampliùs me hospitem & hostem Dei videbunt, &c. Qui nunc fideliter ita decernunt, & decreta exequuntur, *Tunc videbunt* Judicem placatum, tectas suas iniquitates, remissa scelera, &c.

CAPUT XI.

Paradigma V. Amplificationis per Inductionem, & per Exemplum.

Argumentum per Inductionem.

Per Inductionem. Festo S. Francisci Xaverii in illud: *Similem illum fecit in gloria Sanctorum. Eccl. 45. v. 2.*

Argumentum orationis. *S. Franc. Xaverius est aliquo modo omnis Sanctus.*

I. *Prima designatio hujus orationis*, cujus primaria argumentatio est hæc Inductio: *S. Franc. Xav. est Angelus, Præcursor Domini, Patriarcha, Propheta, Apostolus, Martyr, Confessor, Virgo: Ergo est aliquo modo omnis Sanctus, seu habet à Deo simile quid in gloria omnium Sanctorum.*

II. *Exordium* peti potest à depulsione invidiæ,

vidiæ, quòd laudando hic Sanctus æquiparetur gloriæ aliorum Sanctorum, & afferri causa, cur hujus laus ipsorum gloriæ nihil deroget, &c. *Propositio* & *Divisio* indicata est in prima parte allegatæ Inductionis.

III. *Confirmatio* constat expositione singularum partium Divisionis, quæ cùm multæ sint, prolixam dilatationem non admittunt. Aliquam singularum explicationem breviter hîc addo. Fuit 1. *Angelus*, sive habuit aliquid in gloria Angelis simile, quorum summus honor est, quòd sint Dei Ministri, & in rebus magnis Legati, quemadmodum nomen ipsorum indicat, Custodes item hominum & Provinciarum, &c. Potéstque S. Xaverio eleganter applicari illud Isaiæ 18. 2. *Qui mittit in mare Legatos, & in vasis papyri super aquas. Ite Angeli veloces ad gentem convulsam & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem exspectantem & conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus.* In hac porrò parte, utì & in sequentibus, opportunè adducenda sunt selectiora exempla ex ipsius vita, rei tali convenientia. 2. *Præcursor Domini. Prædicatores enim suos Dominus sequitur; quia prædicatio prævenit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt, atq; per hoc veritas in mente suscipitur. Hinc námq; eisdem prædicatoribus Isaias dicit: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. S. Greg. Homil. 17. in Evang.*

Evang. Quæ ultima verba Isaiæ Ecclesia Præcursori Domini tribuit. 3. *Patriarcha.* Fuit enim sicut Abraham *Pater multarum Gentium.* Recensèri potest, quàm multarum. Harum Pater fuit tantò melior, quantò præstat esse verè Patrem animarum, quàm corporum, &c. 4. *Propheta.* In hac parte offertur occasio de ipsius spiritu prophetico loquendi. 5. *Apostolus* Indiarum, quem titulum Ecclesia ipsi tribuit. Possunt hîc recensèri labores ipsius apostolici, & ex vita ipsius ostendi, quomodo dicere de se potuerit, quod *S. Paulus 2. Corinth. 11. à v. 23. Ministri Christi sunt, &c. usq; ad v. 30. 6. Martyr*, non solùm ardentissimo desiderio, sed quia planè fuit *In mortibus frequenter. Ibid.* Tum etiam propter difficillimos labores & carnis mortificationem habuit perpetuum Martyrium. *Genus Martyrii est spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. S. Bern. serm. 30. in Cant. &c.* 7. *Confessor.* Res est extra dubium. Inter alia dici potest, quòd de die fuerit Apostolus, de nocte Anachoreta, cùm majorem ejus partem orationi impenderit. Circa quam partem plura dicenda suppeditant ipsius acta. Servire etiam quædam possunt ex Lectionib. III. Nocturni de Comun. Conf. non Pontif. *Sint lumbi.* 8. *Virgo.* Referri hîc potest, quod Auctor vitæ de ipsius integritate etiam inter pericula recensèt. Somnium illud, in quo

quo obscœnæ imagini usque ad sanguinem restitit. Media, quæ ad servandam virginitatem adhibuit, putà edomationem insontis corporis, &c.

IV. *Epilogus* fit ex conclusione dictæ Inductionis, aut ex iis, quæ exposui, cùm suprà de modo faciendi Epilogos agerem. Si cui ista divisio in 8. partes modum excedere videatur, quædam possunt leviùs tangi, quasi à prætereunte. Dilatationem majorem non adjungo, cùm ex his non sit difficilis.

Argumentum aliud per Exemplum.

Paradigma Amplificationis per *Exemplum* est in sequente oratione pro eodem Festo in illa verba: *Vir ille magnus inter omnes Orientales. Jobi* I. v. 3.

Argumentum orationis: *S. Franciscum Xav. facta in Oriente majorem reddiderunt Orientalibus in S. Scriptura laudatissimis.*

V. *Prima Designatio hujus orationis.* Tota fundatur hac primaria Argumentatione per Exemplum: *Inter Orientales in SS. Litteris laudatissimi fuerunt Abraham & Job, quos S. Xaverius factis in Oriente superavit. Igitur major fuit Orientalibus in S. Scriptura laudatissimis. Exordium.* Magnus quidem fuit Xaverius jam in Europa, sed factis in Orientali India magnitudinem suam ita auxit, ut *Propositio* celebratissimos in SS. Litteris ex Orientalibus superârit, *Divisio* Abrahamum scilicet ac Jobum. *Confirmatio* & utriusque partis *Argumentatio per Exemplum* consistit in comparatione factorum cum

cum factis. *Epilogus* sumitur ex Conclusione Argumentationis primariæ. Hoc modo.

VI. *Exordium* S. Indiarum Apostolus Xaverius, cujus hodie, &c. jam quidem magnus fuit in Europa. Magnus Natalibus, utpote ex Regum Navarræorum stirpe oriundus; Magnus Philosophiæ & Theologiæ scientiis, quarum illam juvenis Parisiis cum laude prælegit, ex hac verò Lauream adeptus est; magnus laboribus apostolicis per Italiam, Galliam, Lusitaniam obitis; magnus virtutibus, quæ S. Ignatio pares visæ sunt tam difficili missioni ad barbaros Indos sustinendæ. Hanc tamen laudem magnitudinis incomparabili incremento auxit decennalibus in Orientali India laboribus, quibus ad eam prærogativam gloriæ pervenit, ut potiore jure ipsi conveniat initio adductum Jobi elogium: *Vir ille magnus inter omnes Orientales.* Vel, ut Pagninus legit: *Major inter omnes Orientales*, vel ut Hebr. & Chald. *Præ omnibus, super omnes.* Quinam verò hi magni Orientales? Num Reges & populi Orientales, quos convertit? An viri illi apostolici, Barzæi, Criminales, Sylveriæ, & alii, quos instruxit & direxit? Tametsi istud ad non vulgarem ipsius laudem asserere possem, tamen in sola S. Scriptura me detineo. Atque ut propositum meum aperiam, affirmo: *Propositio.* Xaverium suis in Oriente laboribus majorem effectum, quàm illos

illos, quibus magnus Hussitarum princeps Jobus præfertur à S. Spiritu, imò quàm Jobum ipsum. Ex quo, ut videbimus, singularis S. Francisci gloria elucebit. *Partitio per præteritionem ad duo capita contrahitur.* Nimirum ex habitantibus ad orientalem plagam plures magni in SS. Litteris recensentur, uti Nemrod, Abraham, Isaac, Jacob, Loth, David, Salomon, Tres Magi stellâ evocati ad Christum natum, & alii, quos omnes producere, &, quomodo à S. Xaverio magnitudine superati sint, monstrare, nimis longum foret. Itaque Jobum, à SS. Paginis prælatum omnibus, & ex cæteris, quibus præfertur, solum Abrahamum, velut reliquorum facilè principem, considerandum sumo. Quos si superâsse Xaverium demonstravero, facilè de reliquis conjectura fieri, & statui poterit, quòd Magnus Indiarum Apostolus fuerit *Vir ille magnus præ omnibus Orientalibus.*

VII. *Confirmatio.* Pars 1. Partitionis. Age, ab Abrahamo ordiamur, &c. *Magnus planè vir Abraham, & multarum virtutum clarus insignibus, majórq; ambitioso mendacio simplex veritatis fides. S. Ambr. L. 1. de Abrah, c. 2.* Fuit autem magnus coram Deo, quæ sola magnitudo meretur æstimari, 1. Obedientiâ in rebus difficilibus: *Egredere de terra tua, &c. Gen. 12.* 2. Fiduciâ in Deum. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam. Gen. 15.* 6.

6. 3. Voluit jussu Dei filium suum Isaac immolare. 4. Charitatem ostendit Loth, nepotem ex fratre, de captivitate liberando. *Gen.* 14. Hospitalitatem, tres Angelos, peregrinorum specie transeuntes, invitando. Pro Sodomitis intercedendo. *Gen.* 18. 5. Deus sæpius ipsi apparens promittit, ex ipsius stirpe nasciturum Christum. *Gen.* 22. 6. Mutato nomine vocatur Abraham, id est *Pater multarum gentium. Gen.* 17. 5. Quid simile, nedum majus, in Xaverio? Verùm ista, utut magna sint, necdum me à proposito removent, &c. *Hîc ex vita S. Xaverii enumeratis modò* 6. *partibus virtutes opponantur.* Ut 1. Jussus est ab obedientia non tantùm exire è patria, sed ex omni Europa, id est, ab hominibus transire ad Indos barbaros, præter formam hominis vix aliquid de homine habentes: deserere amantissimum sibi S. Ignatium & reliquos socios, &c. Quantæ ibidem ærumnæ ipsum exspectabant! NN. Fiat earum enumeratio, &c. 2. Quantâ fuit Fiduciâ in Deum, qui nullo instructus viatico, nullis remediis contra venena Mauritaniæ, &c. 3. At ubi par aliquid immolationi Isaaci? *Melior est obedientia, quàm victimæ.* 1. *Reg.* 15. 22. *Per victimas enim aliena caro; per obedientiam voluntas propria mactatur. S. Greg. L.* 35. *Moral. c.* 10. Quæ pars hominis ut nobilior est, ita sacrificium, per eam factum, pluris faciendum est, quàm quodvis aliud. In Abrahamo voluntas acceptata

ceptata est pro opere, in Xaverio opus ipsum exigebatur & secutum est, & quidem in rebus durissimis NN. enumeratio. 4. Quanta Charitas! Liberavit non tantùm unum, sed innumeros è captivitate dæmonis. Non angelos personatos, sed homines excepit in vastissimo suo & charitate plenissimo corde. Et homines illos quales! &c. Abraham pro Pentapolitis intercedendo nihil demum effecit. Contrà quàm efficax interceſſio Xaverii & cura pro peccatoribus, ne ardeant! &c. 5. Eidem non tam promissum, sed videre datum, ut Christus nasceretur ex semine Evangelii, quod sparsit, & nasceretur, non semel tantùm, sed in tot millenorum hominum cordibus, quos convertit. 6. Itaque si Abraham Pater *multarum gentium*, Xaverius fuit *innumerarum. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* 1. Cor. 4. 15. Peccatoribus conversis dicere potuit: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Gal. 4. 19. Recenseri hîc potest numerus baptizatorum. Horum omnium tantò melior fuit Pater, quantò præstantius est Patrem esse animarum, quàm corporum, & quantò animabus curam plùs quàm paternam impendit NN. &c.

VIII. *Pars altera Partitionis.* Sed major omnibus Orientalibus, adeóque & Abrahamo, Job prædicatur. *Vir ille magnus præ omnibus Orientalibus.* In quæ verba Glossa Lyrani ait:

Major

Major opibus, famâ propter bonitatem suam, ac virtutem, ac dignitatem. Quod opes concernit, testatur scriptura ipsum habuisse 70000. ovium, 3000. camelorum, 500. juga boum, 500. asinas, & familiam multam nimis. *Iob.* 1. Postquam verò hæc Deo ipsum probante perdidit: *Addidit Deus omnia, quæcunq; fuerant Iob, duplicia. Iobi* 42. 10. Virtus ipsius enituit in adversitatibus, quibus Deus *Tanquam aurum in fornace probavit* illum. *Sap* 3. 6. *Quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. Eccli.* 2. 5. Spiritus Sanctus tribuit ipsi hoc elogium: *Vir simplex, & rectus, ac timens Deum. Iob.* 1. Vocatur *Sanctus* & *Beatus. Tob.* 2. Fuit quidem S. Xaver. materialibus divitiis spoliatissimus (dici hîc aliqua possunt de ipsius paupertate voluntaria) nihilominus tamen Jobo longè locupletior. Non habuit tantùm 70000. ovium, sed longè ultra millionem, quas vel recèns baptizatas in ovile Christi induxit, vel ab illo aberrantes per pœnitentiam reduxit. Nec defuerunt ipsi Cameli, superbi & divites scelerati, aut alia mole peccatorum velut gibbo gravati, quos per angustam cæli portam fecit intrare. Asini rudissimi, Indi, quos erudivit, &c. & peccatores, de quibus Psaltes: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Psal* 31. 9. Job sua perdidit; Xaverius nunquam, qui dicere potuit: *Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex*

eis

eis quemquam. Ioan. 18.9. Et tamen pro turmis cælo inductis recepit jam in hac vita non solùm duplicia, sed centuplicia in consolationibus NN. fructu laborum NN. gratia miraculorũ, &c; in altera verò vita insuper gloriam centuplicatam &c. Quanta fuit fama bonitatis & virtutis Xaverii! quam nec hostes possunt dissimulare. Job suas possessiones perdidit; Xaverius ultro rejecit. De illo præceptum est diabolo: *Veruntamen animam ipsius* (vitam scilicet) *serva. Iob.* 1. Hic dicere potuit: *Quotidie morior.* 1 *Cor.* 15. quia, &c. Ubi Job in mediis tribulationibus plures desideravit, sicut Xaverius? *Amplius Domine, amplius.* Ubi Job prosperitati modum poni petiit, sicut Xaverius? *Satis est Domine.* Ille testâ saniem radebat; iste aliena ulcera exsuxit; sed multò graviora animarum curavit. An ulla comparatio dolorum Jobi cum ærumnis Xaverii in itineribus, naufragiis, &c. Denique & ipse fuit *simplicissimus*, sine dolo, fictione, honoris ambitu, &c. Imò contraria facta ostendantur ex vita. *Rectissimus* in operum intentione, in actionibus, &c. ad unum Deum tendens &c. Similis illis mysterioſis animalibus *Ezech.* 1. *v.* 12 *&c. Timens Deum*, quod solum medium erat se servandi semper illæsum, imò indies crescendi in perfectione inter tot illicia peccandi, occupationes, &c. Aut potiùs, si mavultis, Deum non tam timuit, quàm inten-

tenſiſſimè amavit. *Timor non eſt in Charitate, ſed perfecta Charitas foras mittit timorem.* 1. *Joan.* 4.

IX. *Epilogus* ex concluſione argumentationis primariæ. Addi poteſt pro fine, quòd qui in vita tam magnus fuit laboribus, virtutibus, meritis, &c; paris magnitudinis merita, gloriam, & potentiam habeat nunc apud Deum, &c; Quæ amplificari poſſunt, ad excitandum Affectum Spei per ipſius interceſſionem gratias obtinendi; vel Æmulationis; vel alterius.

CAPUT XII.

Paradigma VI. primariæ Argumentationis per Soriten.

In illa verba Evangelii Feriæ II. poſt Paſcha: *Surgentes eâdem horâ regreſſi ſunt in Jeruſalem Luc.* 24. *v.* 33.

Argumentum orationis. *Qui non maturè deſerit peccatum, quodammodo neceſſariò perit.*

1. *Prima deſignatio hujus orationis.* Sumam totius complectitur hæc argumentatio principalis: *Qui non maturè deſerit peccatum, contrahit conſuetudinem peccandi. Qui contraxit conſuetudinem peccandi, habet aliquam ſpeciem neceſſitatis peccandi. Qui habet aliquam ſpeciem neceſſitatis peccandi, quodammodo neceſſariò perit. Igitur qui non maturè deſerit peccatum, quodammodo neceſſariò perit. Exordium.* Sicut iſti duo

discipuli deprehenso suo errore *eâdem horâ regressi sunt in Ierusalem*; ita nos quoque, nisi perire velimus, deprehenso ex Paschali Confessione errore nostro regrediamur. *Propositio.* Alioquin quodammodo necessariò peribimus. *Partitio* fit ex tribus primis partibus argumentationis primariæ. *Confirmatio.* Argumentatio 1. partis factæ Soritis: *Peccatum unum trahit alterum; & ex frequentatis actibus fit habitus, seu consuetudo. Ergo qui non maturè deserit peccatum, contrahit consuetudinem peccandi.* 2. Partis. *Qui peccando operatur secundùm habitum, operatur quasi secundùm naturam; cùm consuetudo sit altera natura. Qui peccando operatur secundùm naturam, quasi necessariò operatur. Igitur qui peccando secundùm habitum operatur, quasi necessariò operatur.* 3. Partis. *Qui secundùm habitum quasi necessariò operatur, agit sine sensu & remorsu. Qui agit sine remorsu, agit etiam sine vero dolore, & sine efficaci proposito emendationis. Qui sine vero dolore & efficaci proposito emendationis agit, quasi necessariò perit. Igitur qui secundùm habitum quasi necessariò operatur, quasi necessariò perit.* Quæ est conclusio communis huic & argumentationi primariæ. Idcirco *Epilogus* fiet aliunde, quàm ex hac conclusione, videlicet Affectum Fugæ celeris peccatorum excitando. Amplificatio istorum sic instituitur.

11. *Exordium.* O bene factum ab his duobus Christi discipulis, quòd *surgentes eâdem horâ regressi sint in Ierusalem*, h. e. Visionem pa-

pacis (nam hoc significat *Ierusalem*) cum Deo, à qua recesserunt per peccatum infidelitatis & desperationis &c! *Non demoreris in errore impiorum. Eccli.* 17. 26. Quodsi fortè nos quoque in discussione conscientiæ pro peragenda Confessione Paschali, aut aliàs, deprehendimus, quòd à cælesti Jerusalem, & à numero discipulorum Christi, per quædam peccata gravia discesserimus, firmiter statuamus, statim hac ipsa adhuc hora redire ad Deum per vitam meliorem. Periculosum omnino est, non statim resilire; tam periculosum, ut ausim affirmare probis nixus rationibus, *Propositio* quòd, qui non maturè peccatum deserit, habeat aliquam speciem necessitatis in eodem pereundi. *Partitio.* Atque ut compendio dicam, cur ita sentiam: Qui non maturè deserit peccatum, contrahit consuetudinem peccandi. Consuetudo hæc continet aliquam speciem necessitatis peccandi; ista verò necessitas rursum post se trahit alteram quandam speciem necessitatis æternùm pereundi. Quæ modò breviter explicatum eo.

III. *Confirmatio.* Argumentationis 1. Partis *Antecedens.* Duo in speciem disparatissima de peccato Spiritus Sanctus proponit: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Psal.* 1. *v.* 1. Et: *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Isai.* 57. 20.

Quomodo ista duo conveniunt? Potéstne idem stare, sedere, & quiescere; & simul agitari, ac quiescere non posse? &c. Qui semel abiit in consilio impiorum, quantumvis putet, velle se stare & quiescere in primo peccato lethali, non stabit, non quiescet, sed ulteriùs progredietur. Gratiâ Dei per primum peccatum amissâ tollitur robur animæ. Dæmon & corrupta natura ulteriùs trahunt. Labimur sæpius, & plerumque graviùs, ut David, Salomon, Petrus, Judas. Multiplicantur species gustatæ illicitæ delectationis, quæ identidem ad novos lapsus solicitant, vellicant, pelliciunt. Minuitur horror peccati. Sensim huic malo evadimus familiares, & ipsum nobis. Ex frequentatis actibus generatur habitus peccandi. *Consequens.* In hac vita omni, sed maximè in via peccati, nemo planè stat; sensim descendimus, imò labimur, in quantam jam abyssum, dum in peccandi consuetudinem labimur! Tantum nocumenti affert peccati viam semel ingredi, aut post tentatum ingressum non illico per Pœnitentiam reverti, &c. Sed deteriorem adhuc progressum consideremus.

IV. Argumentationis 2. Partis *Major.* Consuetudo definitur: Qualitas difficulter mobilis, per frequentatos actus acquisita, quæ ad similes alios producendos facilitatem præbet. Sensus est: &c. Sic in arte musica, pictoria,

pictoria, scriptoria, &c. Simile quid contingit in vitiis, &c. Nascitur demum ea facilitas peccandi, ut non majore labore peccemus, quàm sitiens bibat aquam. *Bibunt quasi aquam iniquitatem. Jobi.* 15. 16. Imò: *Quò plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ.* Bibere est naturale; sic in talibus peccare fit quasi actus naturalis. *Consuetudo quasi secunda, & quasi affabricata natura dicitur. S. Aug. & S. Bern. Minor.* Jamvero quæ naturæ impulsu facimus, necessitates appellamus, ut edere, bibere, dormire. Fit quoque peccatum, quod per consuetudinem transiit in naturam, quasi necessarium, ut propè tam parùm possimus ipso carere, quàm cibo aut potu. *Conclusio.* O pestilens malum consuetudo, quæ summum malum facit necessitatem! Grande malum est posse peccare, sed gravius non posse non delinquere. Quot in se deflent istam necessitatem, qui propter assuetudinem sibi videntur à sceleribus non posse abstinere. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Job.* 20. 11. h. e. vitia, quibus adolescens assuevit, sunt ipsi jam ita naturalia, ut medulla ossibus, eáque non deseret, sed secum feret in sepulchrum.

v. Argumentationis 3. Partis *membrum* 1. Quódque in hoc malo funestissimum, est, quòd in eo quodammodo necessariò pereamus. Transiit consuetudo in alteram naturam,

ram, &c. Quæ naturæ ductu agimus fiunt sine horrore, sine animi repugnantia, imò cum delectatione & gustu, absque notabili conscientiæ reluctantia. Verbo; surdi, cæci, insensibiles sumus in graviſſimis sceleribus; quâ pœnâ graviſſimâ Deus punit peccare assuetos, *Spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. S. Aug. L. 1. Confeſſ. c. 18. Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut quantò ampliùs quisque peccaverit, tantò minùs se peccâſſe intelligat. Euseb. Emiſſen. Membrum* 2. Atverò, qui non ampliùs intelligit, se peccâſſe, qui nullum sentit remorsum, nullum stimulum ad Pœnitentiam, quid aget ad peccati remiſſionem & fugam? &c. *Membrum* 3. Inde procedit lethalis illa quies, pax & lethargus animi in graviſſimis flagitiis. Inde tot irritæ Confeſſiones defectu veri doloris, & serii propositi, &c. Quomodo de eo dolerent, quod non horrent, quia non agnoscunt; non execrantur, quia non horrent? Quomodo fugerent id, quod cùm in naturam abiêrit, jam non ampliùs tanquam malum repræsentatur? *Concluſio.* Quid jam ex his secuturum exspectetur, nisi ut is, qui media necessaria non adhibet, qui peccare pergit per naturam, &c, necessariò pereat? Est quidem Deus semper paratus recipere peccatorem revertentem ad gratiam: sed hanc dat quærenti, non obtrudit. Peccator talis

non

non quærit, non dolet, non proponit fugere &c; unde necesse est, ut pereat.

VI. *Epilogus.* Peccatum habere descriptos hos gradus ad interitum, credamus S. Augustino, illos in se experto. *Suspirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas Quibus quasi annulis quibusdam sibimet innexis (inde catenam appellavi) tenebat me obstrictum dura servitus.* L. 8. *Conf. c.* 5. Væ in hanc lamentabilem peccati servitutem delapso ! Ex ea se demum Augustinus, licèt ægrè, extricavit : quot milleni alii hærent, dum non celeriter statum peccati deserentes in consuetudinem, in necessitatem peccandi, & inde consequentem necessitatem pereundi devolvuntur ! Quid nobis ominamur ex cognito nostræ conscientiæ statu ? Num lapsi sumus in scelus mortiferum ? An mox per verum dolorem, firmum propositum, sufficientem Pœnitentiam, regressi sumus in Jerusalem ? aut fortè jam contraximus consuetudinem ? &c. Quamdiu adhuc hærebimus in errore cognito, vix non certi, si cunctemur reverti, de æterno interitu ? Nunquid seriò surgere statuimus ? At quando ? Cras ? Nimis serum. Hac ipsa adhuc hora regrediamur ad visionem

nem pacis cum conscientia, ut per eam ad visionem pacis cum Deo, & ad visionem æternæ felicitatis redeamus.

CAPUT XIII.

Paradigma VII. orationis dilatatæ per Dilemma.

In illud ex Evangelio Dominicæ IV. Adventûs : *Prædicans baptismum Pœnitentiæ, Luc. 3. v. 3.*

Agumentum orationis. *Qui differt conversionem, se vel stultum, vel impium probat.*

1. *Prima designatio hujus orationis.* Argumentatio primaria : *Qui differt conversionem, vel putat, se pro ea suscipienda non habiturum aliquando gratiam Dei efficacem, & tempus, & fore, ut pœniteat peccâsse, & conversionem distulisse? vel putat, se habiturum aliquando gratiam efficacem, & tempus, nec fore, ut pœniteat peccâsse, & conversionem distulisse? Si primum; est stultus, quòd differat. Si secundum; est impius. Igitur qui differt conversionem, se vel stultum, vel impium probat. Exordium.* Ferè omnes agnoscunt, incumbere sibi necessitatem agendæ Pœnitentiæ; plerique tamen illam in aliud tempus reiiciunt. In qua dilatione dubitari potest, majórne dementia peccatoris, an impietas inveniatur. Nam *Propositio & Partitio* si putat

tat, differendo conversionem, se pro ea suscipienda non habiturum vel gratiam Dei efficacem, vel tempus, & fore, ut ipsum aliquando pœniteat peccâsse & conversionem distulisse, manifestè se stultum probat. Si verò putat, se habiturum talem gratiam & tempus, nec fore, ut pœniteat aliquando peccâsse, & conversionem distulisse, profectò est impius. *Confirmatio.* Argumentatio 1. partis. *Vel peccator differens pœnitentiam putat, se habiturum gratiam efficacem ad illam seriùs arripiendam? vel putat, se illam non habiturum? Si prius; est impius differendo. Si posterius; est insanus.* 2. Partis. *Vel idem putat, se ad illam habiturum satis temporis? vel non habiturum satis? Si primum, est impius; Si secundum, amens.* 3. Partis. *Vel credit, non fore, ut aliquando pœniteat peccâsse, & pœnitentiam distulisse? vel credit, fore, ut pœniteat? Si illud, est impius; Si hoc, est stultus. Igitur, &c. Epilogus.* Adhortatio ad non differendam pœnitentiam, allatis quibusdam aliis insuper rationibus. Materiam pro dilatatione hujus orationis suppeditat P. Nepveu Meditat. 15. Martii, in hunc modum.

11. *Exordium.* Pauci forsitan erunt, qui vitam suam transactam inspicientes non judicent, sibi opus esse pœnitentiâ, h. e. serio dolore & detestatione cõmissorum, reditu cum Deo in gratiam per integram Confessionem, & malè factorum in futurum emendationem. Et hic est *Baptismus Pœnitentiæ in remissio-*

missionem peccatorum. Plerique tamen non cogitant de illa, quemadmodum oporteret, statim agenda, sed in aliud tempus tam salutare negotium reiiciunt. In qua dilatione dubitari potest, majórne dementia, an impietas peccatoris inveniatur? Quippe ad genuinam conversionem tria requiruntur: Gratia Dei, tempus & dolor syncerus de peccatis. Atqui luculentis rationibus hodie evincam, *Propositio & Partitio* peccatorem, si putet, se differendo, &c. ut num. præced. Quibus consideratis, spero, quemvis, qui nolit inter stultos aut impios numerari, decreturum, illam ne ad unam quidem horam ultrà comperendinare.

III. *Confirmatio. Argumentatio.* 1. Pœnitentiam, seu vitæ emendationem differre, est modò de commissis peccatis vel non seriò dolere, illa non super omnia alia mala detestari, vel non firmum & constans propositum de illis vitandis concipere; sed in ea identidem relabi, in iisdem audacter pergere, semper tamen cum aliqua voluntate, ipsa aliquando deserendi, & meliùs vivendi. Quàm multi sic agunt! Sed ex ipsis cum S. Bernardo quæro, an credant, Deum ipsis aliquando sua peccata remissurum, quantacunque sint numero & gravitate? &c. An verò, ut non immeritò, de hoc dubitent? quin etiam tacitè metuant, ne irritatus Deus in pœnam gratias efficaces subtrahat, quibus

bus adjuti deberent & posſent reſurgere atque ad frugem redire? &c. Si posterius iſtud ſibi imaginantur, posſétne ſub ſole major ſtultitia excogitari, quàm quòd juſtè dubii de venia obtinendâ pergant peccare, peccando irritare inimicum omnipotentem, provocare in pœnas Deum, futurum in puniendo ſeveriſſimum, in æternum implacabilem; eundem toties peccatis offendendo mereri, certa ſibi facere, in infinitum augere ſupplicia ſempiterna, quæ tantò futura ſunt atrociora, quantò pluribus peccatis debita? Si infernus perpetuus, diriſſimus, &c. unico peccato deſtinatur, quantus, quàm immanis, centena aut plura ſubſequetur? O cæcitas! ô inſania! &c. Si verò opinentur, Deum eſſe tam miſericordem, ut quantumcunque ſæpe & graviter peccaverint (cùm tales, qui pœnitentiam procraſtinant, plerumque graviùs & graviùs labantur) per exceſſum bonitatis gratiam ipſis conceſſurus ſit pœnitentiam agendi, &c, ſine qua gratia nemo ſe poteſt emendare; quæ poteſt hac gravior impietas fingi? Quàm atrox malitia, inde ſumere occaſionem peccandi, & odio habendi Deum, unde deberemus potentiſſimè incitari ad ipſum tantò magis diligendum & colendum! *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in Superbiam* per varia crimina ipſum contemnendo. *Job* 24. 23. *An oculus tuus nequam eſt, quia*

ego

ego bonus sum. Matth. 20. 15. Quàm perversa est hæc ratiocinatio, aut rectiùs deliratio: Deus bonus est; possum ergo tantò liberiùs esse malus. Habet tantum patientiæ, ut mihi velit gratiam resipiscendi concedere, centies etiam promerito, ut illa mihi negetur: igitur possum audaciùs ipsum offendere. Quis crederet, sic christianum, &c. Et tamen, &c.

IV. *Argumentatio.* 2. Ad conversionem requiritur etiam Tempus. Qui peccare pergunt, censéntne, se habituros parùm, an multum temporis? Si parùm; quæ fatuitas, non applicare illud modicum ad utiliter gerendum negotium totius æternitatis? Quàm soliciti essemus, si dispendium, aut lucrum majorum bonorum dependeret in rebus, omnes nostras fortunas spectantibus, ab unica hora, &c? Et jactura felicitatis, aut metus damni æterni nos non movet? Reipsa tamen ad negotium tanti momenti quisque parùm temporis habet, quia, &c. Tot Viri sancti 90. aut 100. annis sepulti in speluncis inter rigidissimas pœnitentias, putârunt, se nondum satisfeciisse pro modicis quibusdam delictis juventutis, nec paratos esse ad comparendum coram Deo judice, qui tamen istius judicio erant verè sapientes. Nos verò, &c. Si autem sperent, se, licèt in peccatis pergant, habituros sufficiens tempus agendi pœnitentiam, certissimò sibi persuasum habeant

beant illud Eccli. 15. 21. *Nemini dedit ſpatium peccandi.* Sed cùm Deus illud unicè indulgeat ad ſuum ſervitium, quæ malitia illo abuti ad peccandum? Cùm aliis, quos damnavit, tempus brevius ad pœnitentiam forſitan conceſſerit, quàm tibi, quantum es ipſi obſtrictus? &c. Quanta ingratitudo, ſi peccare perſeveres? &c. Nunquid vel hac mereris, ut tempus, quod alioquin conceſſurus fuiſſet, abbreviet? Id fore prædixit docente Spiritu ſancto Rex vates: *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Pſal.* 54. 28. Doloſi, dicit, qui ſceleratè Deum quodammodo fallere conantur, &c. Itaque differre pœnitentiam, & pergere peccare, nunquid eſt ſe exponere periculo, & mereri, ut Deus nobis ſubtrahat tempus, &c?

v. *Argumentatio 3.* Poſtremò vel iidem credunt, futurum, ut de ſuis peccatis, quæ nunc, differendo converſionem, committere pergunt, & de hac ipſa dilatione ſeriò doleant? vel hoc nunquam fore arbitrantur? Si cenſent fore, ut doleant, & quidem dolore ſupernaturali, ſummè cor conterente, &c, qualis ad peccati remiſſionem eſt neceſſarius; quanta vecordia perſeverare in ea re committenda, de qua certi ſumus, olim neceſſarium fore, ut ſummè nos pœniteat illam commiſiſſe, aut æternùm pereundum eſſe? Quis in aliis rebus non diceret veſanum, qui rem quampiam faciendam ſuſci-

ſuſciperet, in anteceſſum certiſſimus, fore, ut ipſam feciſſe ſummè aliquando pœniteat? Pœnitudo eſt res ejuſmodi, ut præviſa nos à quovis negotio poſſit abſterrere, etiam illo, ad quod maximè nos paſſio aliqua inclinat. Quod dum in hoc ſolo negotio non experimur, do cuivis prudenti judicandum, quantum tribuendum ſit illi pœnitudini, qua multi putant, ſe in ſacro Tribunali ſua ſcelera expurgare. Quæ ſi ſumma eſſet, id eſt, quæ de peccato admiſſo ſupra omne aliud malum cor contereret, utì oportet, jam antè præviſa, procul dubio ab illo nos averteret, pro quo poſtea exigetur. Eſto tamen, talem nos poſtea habituros; quænam hæc amentia, voluptatem brevem emere dolore, qui & ſummus eſſe debet, & ad finem uſque vitæ durare, aut nos premere in æternum? Quodſi verò exiſtiment, nunquam fore, ut ipſos pœniteat peccâſſe, nec, quòd pœnitentiam diſtulerint; ſunt igitur jam nunc impiè deſperabundi, obdurati in malo, reprobi, &c. Atque adeò, ut à capite breviter totum repetam, qui differt pœnitentiam, ſtultum ſe vel impium ex omni parte convictum arbitretur.

VI. *Epilogus.* Quid jam hinc concludimus, qui nec ſtulti, nec impii volumus haberi? An non illud, quod ex dictis neceſſariò conſectaneum eſt, quódque cor noſtrum ex ore Dei nobis ſuggerit: *Non tardes converti ad Dominum*

minum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Eccli. 5. 8. Hortatur id ipsum *S. Aug. in Psalm. 144. Noli dicere: cras me convertam, cras Deo placebo. Quid dicis? Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit, sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit.* Ad conversionem genuinam requiritur Dei gratia, tempus, & syncera pœnitudo. Tantò minùs mereris talem gratiam & tempus (quod & ipsum est favor Dei non vulgaris) quantò frequentiùs te illis peccando indignum reddis. Tempus incertum est, & breve: malíne summi, certissimi, & æterni periculum rei incertissimæ committes? Incertus quoque, an non peccatis assuetus voluntatem conversionis olim sis non habiturus, etsi tempus tunc haberes, exspectas? Quid de illius pœnitentiæ bonitate censendum, quam non voluntas ultro liberéque arripit, sed mors vicina extorquet propemodum nolenti? Ut nihil dicam, quòd pro illa nullum tempus sit ineptius, quàm postremum, ubi omnia obstant, morbi in corpore, angor in animo, hebetata vis cogitandi, necessitas disponendi de fortunis, amicorum importunus accessus, dolor ob hos deserendos, metus imminentis æternitatis. Ille dolor est & efficacior & securior, qui à corde puriore & Dei magìs amante proficiscitur, quæ tamen puritas & dilectio multitudine peccatorum semper magìs evertitur. CA-

CAPUT XIV.

Paradigma VIII. Amplificationis primariæ per Collectionem.

Pro Festo Paschæ in illud : *Surrexit. Marci. 16. v. 6.*

Argumentum orationis : *Festum Resurrectionis Domini est piis festum Spei & Gaudii.*

1. *Prima designatio hujus orationis. Exordium.* Ecclesia nos hoc festo sæpius ad gaudendum excitat; & quam ob causam? *Propositio.* Hoc Festum piis Festum Spei & Gaudii. *Ratio Propositionis.* Per hoc festum certi sumus de resurrectione mortuorum. Argumentatio. *Illud festum piis est maxima causa lætitiæ, quod est causa maximæ spei. Illud est causa maximæ spei, quod fiduciam certissimam præbet resurgendi à mortuis. Illud hanc fiduciam præbet, quo Christus, Caput nostrum, facto ostendit, eam certò futuram. Igitur Resurrectio Christi, quæ de resurrectione nostra certos nos reddit, piis est maxima causa lætitiæ. Confirmatio rationis, & ejus argumentatio. Christus surrexit : Igitur nos quoq; resurgemus. Exornatio Confirmationis.* Argumentum. Nemo esset miserabilior christianis, nisi esset resurrectio. Argumentatio. *Nemo esset miserabilior iis, qui plurima dura faciunt & sustinent propter spem falsam. Nisi esset resurrectio, christiani plurima dura facerent & sustinerent propter*

propter ſpem falſam. Ergo nemo eſſet miſerabilior chriſtianis, niſi eſſet reſurrectio. Epilogus excitat Gaudium per anacephalæoſin dictorum. Amplificatio ſic inſtituitur.

II. *Exordium.* Gaudete pii, & exultate! Chriſtus reſurrexit à mortuis, unâque ſecum vix non ſepultam ſpem & veram gaudii cauſam iterum exſuſcitavit. Gaudete! ita ſuadet ratio, & vox Eccleſiæ, toties his diebus hortantis identidem repetitis illis verbis: *Hæc dies, quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea. Pſal.* 117. 24. Quænam verò tam urgens cauſa lætitiæ, quòd hoc præcipuè Feſto toties ad gaudium nos exhortetur? An non major exultationis cauſa, in Nativitate Domini, quando Deus ac Redemptor noſter, &c. Aut in Pentecoſte, quando Spiritus divinus gratias ſuas ubertim effudit, & pignus ſancitæ inter Deum & humanum genus Pacis datus eſt? aut in Feſto Theophoriæ, quo ſummum beneficium generi humano conceſſum, recolitur? Non nego, illis quoque diebus gaudendum; ſed illud hodie contendo, *Propoſitio* Feſtum Reſurrectionis eſſe piis maximam cauſam lætitiæ, quia eſt maxima cauſa ſpei, ad quam ſolidandam, niſi Chriſtus reſurrexiſſet, parùm vel ipſius Nativitas, vel Spiritûs ſancti promiſſio, vel Myſterii Evchariſtiæ inſtitutio conducere potuiſſet; quemadmodum brevì judicabimus.

III. *Confirmatio. Ratio propositionis*, & Sorites, pro ejus argumentatione factæ, 1. *Pars.* Summopere lætificat hominem, spes certa proximè obtinendi bonum summi momenti, quod maximè optabat. Sic agricola, captivus, exul, bellis pressi, &c. 2. *Pars.* Maximum bonum christianis piè viventibus in altera tantùm vita promissum est, videlicet æterna possessio Dei, &c. Ad hoc ducimur sola fide & spe, quia nondum apparet, per vias spinosas & admodum difficiles. Spes hæc est irrita, si non datur Resurrectio mortuorum. Hæc autem non deberet exspectari, nisi Christus resurrexisset, qui totam suam doctrinam in fide & spe resurrectionis ad æternum præmium alterius vitæ fundavit; cujus nisi ex promisso dedisset exemplum, fides & spes ista esset vana. *Quodsi Christus non resurrexit, vana est fides nostra.* 1. *Cor.* 15. 17. 3. *Pars.* Quoniam verò Christus, Caput nostrum, resurrexit, nobis quoq; membris suis, certissimam spem resurrectionis contulit. *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quòd Jesus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* 1. *Thessal.* 4. 13. *Conclusio.* Itaque pii gaudeant, quia spes hæc impleta est, &c.

IV. *Confirmatio rationis.* Argumentationis *Antecedens.* Haud dubiè vana esset fides & spes nostra

noſtra, niſi Chriſtus reſurrexiſſet. Dixit, ſe eſſe Filium Dei, & tanquam talis novam Legem inſtituit, multáque alia docuit, quæ ſunt ſupra naturam & factu difficilia; putà diligendos eſſe inimicos, portandam cum ipſo quotidie crucem, beatos eſſe voluntariè pauperes, &c. Si in uno fuiſſet mendax, etiam in aliis fuiſſet dubiæ fidei, in iis præſertim, quæ ſuam Legem obſervantibus promiſit. Promiſit autem præmia vitæ alterius, non præſentis, ſed in hac plurimas tribulationes, &c. Jamverò ſi altera vita non eſſet, fruſtra ſperaremus promiſſa. Totum igitur in eo erat, ut Chriſtus facto doceret, mortuos reſurrecturos, ſicut ipſe reſurrexiſſet. Jam fides & ſpes noſtra confirmata eſt: Chriſtus ſurrexit, dubitare de hoc non poſſumus, cùm veritatem ſuæ Reſurrectionis, & quòd ipſe ſit, qui, mortuus nuper, nunc vivat, dictis & factis probavit prolixiùs, quàm quaſvis alias veritates, cùm ab hac reliquarum fides penderet. Apparuit variis occaſionibus, &c. Servavit plagas etiam in glorioſo corpore, eas oſtendit, Thomæ palpandas obtulit, ut cognoſcatur corpus eſſe verum, quod circumtulit, non ſpectrum; manducavit cum diſcipulis, &c. *Conſequens.* Jam itaque certi ſumus, nos reſurrecturos, certi veram eſſe ipſius doctrinam, certi bona æterna nos expectare, &c.

v. *Exornatio Confirmationis.* Argumentationis

Major. Etverò debemus infinitas gratias Salvatori, quòd ſuo exemplo nos certos reſurrectionis noſtræ reddiderit. Quod niſi præſtitiſſet, veriſſimum eſſet illud Apoſtoli. l. c. ***Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*** Quis enim illo miſerabilior, qui plurima dura facit & ſuſtinet ob ſpem falſam? Si quis (quæ eſt Chriſti comparatio de regno, à ſe promiſſo, loquentis) ſi quis, inquam, alteri theſaurum inæſtimabilis pretii, in agro deliteſcentem, promitteret ea lege, ut illum difficili labore, &c. ipſemet effodiat, priùs tamen omnes ſuas facultates, licèt grandes, abiiciat, voluptatibus longo tempore ſibi interdicat, corpus durè inſuper tractet, parentes & omnia chara deſerat, &c. ad illum acquirendum; ſi reipſa nullus eſſet in agro illo ejuſmodi theſaurus? *Minor.* Nunquid autem tales chriſtiani eſſent, qui à Chriſto prædicta facere juberentur propter ſpem falſam reſurrectionis, & poſt illam imenſorum bonorum, in cælis obtinendorum, ſi reſurrectio nulla eſſet? Profectò reliqui, à Lege Chriſti alieni, longè feliciores eſſent, utpote qui in hac ſaltem vita felices viverent, opibus, honoribus, deliciis, &c, fruerentur, dum contrà chriſtiani in ea miſeri eſſent ob ſpem inanem, nec quidquam haberent exſpectandum in futurum, ſi nunquam reſurgeremus. Imò inter ipſos piiſſimi, qui ſe

se in speluncis abdunt, corpus asperiùs tractant jejuniis, &c, essent ex hoc ipso capite omnium miserrimi, quia duriora &c. propter nihil agerent & paterentur. *Complexio.* Jam ergo non sunt miserabiles, sed felicissimi, quia certi, quòd verissima sint, quæ Christus dixit, docuit, promisit, quippe ipsius Resurrectione comprobata. Rem antea incredibilem & naturæ vires excedentem, à cujus eventu cæterorum fidem suspendit, facto præstitit, à mortuis resurgens. Vera sunt, quæ dixit; quæ pollicitus est, evenient. Resurgemus & nos ad gloriam, eámque tantò ampliorem, quantò duriora pro ipso passi fuerimus, aut majora fecerimus. Fides nostra certa, spes stabilita est.

VI. *Epilogus.* Gaudete itaque virtutis studiosi! &c. Sed quia jam certi estis de parato vobis regno, pugnate, quod ex parte vestra requiritur, ut illud vi consequamini. In agro Ecclesiæ thesaurus infinitorum bonorum defossus est; laborate strenuè, vincendo pravas cupiditates, edomando carnem, fugiendo voluptates, spernendo honores, &c. ut illum pro vobis eruatis. Qui fodere jussit, vires dabit impigrè laborantibus, &c.

CA-

CAPUT XV.

Paradigma IX. geminæ orationis panegyricæ, cum argumentione factæ.

Pro Festo Visitationis B. V. in illud: *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione. Luc. 1. v. 39.*

Argumentum orationis. *B. Virgo gratiis & meritis super omnes Sanctos exaltata spem nostram maximè exaltat.*

Prima oratio.

1. PRima *designatio hujus orationis*, quæ tota nititur hoc Syllogismo: *Spes inædificata monti, posito in vertice montium, maximè exaltatur. Spes nostra, post Deum inædificata B. Virgini, est Spes inædificata monti, posito in vertice montium. Itaq; Spes nostra inædificata B. Virgini maximè exaltatur. Exordium* fit ex Majore hujus Syllogismi. *Propositio* indicata est suprà in Argumento orationis. *Partitio.* 1. Spes nostra post Deum innitur B. Virgini, 2. quæ est Mons in vertice montium. *Confirmatio* ducitur ex Minore Syllogismi primarii, quæ in se continet Partitionem. Hujus prima pars posteriore, posterior pars priore loco tractatur in dilatatione. Argumentatio 1. partis *Quæ sunt ex parte Dei, & quæ ex parte B Virginis, probant, nos posse post Deum plurimùm confidere in patrocinio B Virginis. Igitur, &c.* Argumen-

mentatio 2. partis. *Montes sunt sancti. Hos montes superavit B. Virgo*, 1. *Gratiis, à Deo acceptis*, 2. *meritis. Igitur B. V. superavit montes, seu est mons in vertice montium. Epilogus.* Promovetur ulteriùs Affectus Fiduciæ erga B. Virginem ex Consequente argumentationis 1. partis, cùm ea, ut dixi, dilatetur secundo loco.

11. *Exordium.* Quid hoc? Humilis illa *Ancilla Domini*, quam sese non ita pridem coram Angelo appellavit, hucusque abdita, publici fugitans, &c. nunc Verbo divino gravida prodit in publicum, consortium quærit, videri, & audiri appetit. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione.* Abiit, non tam suo, quàm inquilini sui impulsu, qui, teste Ruperto, Matrem suam futuram hactenus obscuram reliquit, ut ejus ad infima sacræ propensioni satisfaciat. Nunc verò Matrem suam effectam ipsemet protrahit in lucem, ostendit orbi, collocat in alto supra montes, Legatam mittit ad suum Præcursorem, adhuc utero clausum. Atque ita virgineam Matrem suam primò exaltat corpore super montes corporeos, quam pridem antè spiritu super montes spirituales extulit, *Propositio* ut nobis innueret, quàm sublimis futura, quàm propè ad Dei thronum accessura sit spes nostra, si hæc, quod ipse voluit, secundùm Deum huic Virgini innitatur. *Partitio*, Montes hosce sacros esse reliquos Sanctos, postquam

quam in 1. parte instituti sermonis audiverimus, & Dei Matrem Virginem omnes istos montes gratiis & meritis superâsse spectaverimus, facilè deinceps in altera parte concludemus, quàm securæ sint spes nostræ, huic virgineo monti inædificatæ, quàm altè attollantur, quàm proximè ad divinum gratiarum solium admoveantur.

III. *Confirmatio.* Argumentationis, hîc prioris, *Major.* Regius Vates, cùm in illo mysteriis pleno *Psal. 67. v. 17.* B. Virgini congruum elogium tribuere vellet, verba idonea non invenit, sed descriptione prophetica usus ait, quòd sit: *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Quâ allegoriâ ipsius sublimitatem innuit, utpote quæ instar vastissimi montis creata omnia gratiâ, meritis, gloriâ superârit. Vastissimi, inquam, montis: neq; enim qualicunque altitudine ipsam eminuisse sentire nos jubet summus Dei in ipsam amor, summáque dignitas Matris Dei, ad quam electa est. Audiamus interpretem *S. Greg. in 1. Reg. 1. Potest hujus montis nomine Beatissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ, ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usq; ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias. c. 2. vaticinans ait: Erit*

in

in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ ſuper omnes Sanctos reſulſit. Montes iſtos, in quorum vertice Deipara ſtatuta eſt, cæteros Sanctos eſſe, etiam aliorum SS. PP. ſententia eſt. *S. Hieron. in c. 5. Ezech.* per eos intelligit Patriarchas & Prophetas, *S. Ambroſ.* SS. Apoſtolos, *S Bern.* SS. Angelos. Et certè montes ſunt ſancti, quia gratiis, virtutibus, & meritis reliquos homines, ut montes inferiora, excedunt. *Minoris* 1. pars. Utut verò alti elevatiq; ſint cæteri Sancti, exiſtimandum tamen, B. Virginem omnibus eminere, & ſingulos ita ſuperare, ut hic celſiſſimus mons ſit collocatus & radicatus in vertice reliquorum montium, h. e. ut ipſius radices, ſeu infimæ primæque gratiæ, excedant verticem, ſeu ſummas gratias aliis Sanctis in culmine ſuæ perfectionis conceſſas, indéq; ipſa inceperit, unde alii diſierunt; ut adeò in principio perfectiores gratias & merita conſecuta ſit, quàm alii Sancti in fine. *Cæteris per partes præſtatur: Mariæ autem ſe tota ſimul infundit gratiæ plenitudo*, inquit *Sophron ſerm. de Aſſumpt.* Hoc ipſum, niſi fallor, inſinuare voluit Regius Pſaltes, dicendo: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis. Pſ.* 86. 1. Hanc prærogativam gratiarum in B. Virgine agnoſcunt Theologi, nominatim doctiſſ. *Suarez Tom. 2. in 3. p. diſp.* 18. *ſect.* 4. Et *S. Thom. 1. p. q.* 25. *a.* 6. *ad* 4. putat, Maternitatem

tatem Dei complecti dignitatem quandam infinitam, ex qua statim necessaria consecutione gratiarum quoque immensitas existat. Etverò si Deus Lucifero atque aliis Angelis specialia dona concessit, ideo, quòd ad sublimius officium fuerint destinati; quantas par erat ipsum B. Virgini contulisse, præaliis dilectæ, & ad sublimissimam dignitatem Matris Dei, Reginæ Angelorum, &Sanctorum omnium, electæ? Majora utique ornamenta confert Rex amantissimæ Reginæ & Matri, quàm cuivis servorum? *Ejusdem Minoris* 1. *Pars.* His ita positis, merita, gratias consequentia, si licet, metiamur. Una gratia, à Deo concessa, est semen gratiæ novæ, quam meremur, priori cooperando. Tantò igitur B. Virgo amplius augmentum novarum gratiarum, meritorum, & gloriæ adepta est, quantò gratia præcedens fuit aptior ad illustrandum intellectum, & movendam voluntatem, & quantò perfectior idcirco fuit cooperatio. Aut fortè gratiam gratiis perfectissimè cooperandi non accepit, cui copia tam illustrium gratiarum concessa est? Cooperata est primæ; quis ambigat? Huic pro mercede altera, proportione major ac perfectior collata fuit. Huic denuo, & eodem modo sequentibus, cooperata, &, semper cum proportione ascendendo, præstantiores in præmium consecuta, ad quantum apicem perfectissimarum gratiarum, meritorum,

rum, & gloriæ in fine vitæ pertigerit, quam nihil impedivit, quo minùs singulis momentis operaretur, imò quam ad hoc ipsa gratia abundans juvit, cùm jam prima ipsius gratia ex mente Theologorum apud Suarez l. c. tam eximia fuerit, ut perfectissimas reliquorum Sanctorum, quas in fine vitæ habuerunt, superârit? *Complexio.* Quantocunque sis intellectu, non capies tantum numerum, non assequeris perfectionem. Non habet satìs numerorum Arithmetica, ut gradus istius incrementi exprimat. Nemo satìs acuminis habet in oculis, ut ad culmen hujus altissimi montis, in vertice montium radicati, pertingat. Verè *Mons in quo beneplacitum est Deo.* Rectè eidem Ecclesia applicat illud: *Prov.* 31. 29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

IV. Argumentationis, hîc posterioris, *Antecedens.* Nobis verò non sufficiat montem hunc præcelsum, & culturâ divinorum donorum ornatissimum, pigro tantùm intuitu eminus admirari. Compellat nos otiosos spectatores *Isaias c. 2. v. 3. Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei.* Errantes in valle lachrimarum, exagitati à variis hostibus, quoties effugium suspiramus! Fugiamus in hunc montem, tanquam certissimum & securissimum asylum. Ita suasum olim à Domino Eliæ, per vallem lachrimarum insidias impiæ Jezabellis fugienti. *Egredere*

dere, & sta in monte coram Domino. 3. *Reg.* 19. 11. Neque dicamus: *Quis ascendet in Montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* *Psal.* 23. 3. Subiicitur responsum: *Innocens manibus, & mundo corde.* Mundam afferamus animam & conscientiam NN. & facilis erit accessus ex valle lachrimarum in hunc montem. Finxerunt veteres gentiles, quòd Gigantes Jovem impugnaturi montes montibus imposuerint, ut per hos ad ipsum in cœlum possint eniti. Fabula est, sed ad nostram instructionem idonea. In imo constituti impares sumus Deo expugnando, & in vota nostra flectendo. Deus ipse pro sua infinita bonitate pronus ad nobis benefaciendum, volens tamen nostris petitionibus velut expugnari, facilè cessurus, Montem hunc altissimum aliis montibus imposuit, qui gratiarum ac meritorum verticem usque ad solium Deitatis erigeret, ut passibus Fiduciæ per istud adminiculum evadentes proximè ad Deum accederemus. Montem hunc virgineum nobis accessum ad Deum præbere. *S. Bern. serm. in Nativ. B. V.* docuit: *Forsitan,* inquit, *Majestatem vereare divinam, - - - - ad Mariam recurre. Exaudit utiq; Matrem Filius, exaudit Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea magna Fiducia est, hæc tota ratio spei meæ.* Per hanc igitur scalam ad Deum ascendamus necesse est, si divinæ Clementiæ vim talem inferre cogitamus, ut ad succurrendum nobis

bis eam quodamodo expugnemus. Hoc in Monte post Deum spem nostram fundemus, ut ea proximè ad Thronum Dei pertingat, hortante eodem oratore mellifluo *Serm. de aquæ ductu*: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Quam enim summis aliis donis condecoravit, eidem etiam istud comisit, ut dispensatricem divinorum beneficiorum constituerit, nec voluerit quidquam doni ad nos, nisi per manus ipsius, descendere. Neque verò repulsam timeamus à Virgine, si postulando puras manus ad ipsam erigamus: nam verissimè idem dixit: *Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, qui te in suis necessitatibus invocatam sibi meminerit defuisse. Serm. de Assumpt.* Etverò quis de illius misericordia dubitet? Est *Mater misericordiæ*, teste Ecclesia, Habet *Viscera misericordiæ, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Luc.* 1. 78. &c. Consequens hujus Enthymematis in sequentem Epilogum dilatandum transfertur.

v. *Epilogus.* Gratulemur B. Virgini hanc tam sublimem exaltationem, &c. at nobis multò magis, &c. Laudemus divinam benignitatem, quæ nobis Læsæ Majestatis suæ reis peccatoribus de tam facili medio prospexit, ut per eam omnia possimus impetrare, quæ nihil non potest apud Deum. Peccator

es?

es? Maria est *Refugium peccatorum* pœnitentium. Sceleribus in profundum es demersus? Eadem est *Peccatorum Scala*, qua denuo ad Deum ascendas. Sed quod caput est, B. Virgo est *Mater misericordiæ*, à Deo sumè honorata & dilecta. Quod dulcius filio, licèt imorigero, quàm Matris nomen? Hanc si à summo & liberalissimo Rege honoratissimam intelligeret, quid ab ipsa, & per ipsam à Rege, impetrare non speraret? &c. *Si cui historiæ placent, addi possunt ante Epilogum: ut illa ex Nadasi Ann. Hebd. cœlest. Sabbatho 9. ex Casario L. 2. Dial. c. 12. Pexenfelder Hort. Marian. Allocut. 22. pag. 226. vel aliæ.*

VI. Subjungo aliud Paradigma Orat. Panegyr. pro Festo S. Joannis Baptistæ, cujus Major & Minor indigent probatione.

Secunda oratio.

Argumentum orationis: *S. Joannes Bapt. est maximus, quia fuit minimus.*

PRima designatio hujus orationis, cujus Argumentatio primaria est: *Qui minimus est in regno cælorum, est maximus. S. Joannes Bapt. fuit minimus in Regno cælorum. Igitur in eo est maximus. Exordium* per Figuram Subjectionis inquirit, cur S. Joannes à Christo dictus sit maximus inter natos mulierum. *Propositio.* Fuit ideo maximus in Regno cœlorum, quia minimus seu humillimus fuit. *Partitio.* 1. In regno cælorum, seu Christi, maximi sunt, qui sunt minimi. 2. S. Joannes in eo fuit minimus. *Confirmatio.* Argumentatio 1. partis, quæ

quæ est *Major* Syllogismi primarii. *Qui in Regno simillimus est Regi, est utiq; maximus. Qui in Regno cælorum est minimus, seu humillimus, est Regi Christo simillimus. Igitur qui in Regno cælorum est minimus, idem quoq; est maximus.* Argumentatio 2. Partis, quæ est *Minor* primi Syllogismi. *Qui præ aliis Sanctis maximè fugit honores, infimè de se sensit & locutus est, fuit minimus seu humillimus, adeóq; Christo Regi simillimus. Hoc fecit S Joannes. Quare fuit minimus, Christo Regi simillimus, ideóque in Regno cælorum maximus. Epilogus* fit ex Complexione Syllogismi primarii. Amplificatio sic instituitur.

VII. *Exordium.* Mirari quis posset, quòd Salvator dixerit: *Non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista. Matth.* 11. *v.* 11. Quid enim habuit eximii, ob quod aliis Sanctis præferri mereatur? An jejunia? jejunârunt etiam Moyses, Elias, David, tres pueri Babylonici. An fervorem in divino servitio? Fuit ferventissimus Abraham. An cultum eremi? In eadem habitârunt Elias & filii Prophetarum. An quòd fueritPræcursor Salvatoris? Prænuntiârunt eundem venturum alii Prophetæ; imò Daniel proximè adfuturum, &c. Fuit igitur aliquid aliud, ob quod mereatur à Christo omnibus præhaberi. Quid illud sit, si vultis audire, dicam, sed aliquid in speciem repugnans. *Propositio.* S. Joannes Bapt. ideo fuit in Regno cœlorum, quod est Regnum Christi, reliquis, ex-

excepta B. Virgine, major, quia fuit reliquis minor; maximus, quia fuit minimus, seu humillimus. *Partitio.* Atque hoc, quod modò proposui, in altera parte orationis ostendam, postquam in priore universim demonstravero, in Regno cœlorum, seu Christi, esse usum Mundo contrarium, eósque haberi maximos, qui sua opinione sunt minimi.

VIII. *Confirmatio.* Argumentationis I. Partis *Major.* Si quæratur, quis in aliquo regno sit maximus, vulgus ditissimum aut potentissimum nominabit; Sapientes contrà, quos nec opum fulgor excæcat, nec honorum aut potentiæ alterius splendor in admirationem rapit, illum maximum continuò pronuntiabunt, qui Regi moribus, dotibus, cæterisque ornamentis animi simillimus, atque ita proximus maximo est. Idque tantò magìs, si Regis supra cæteros excellentiam non ex solio, aut opibus, aut subditorum numero, sed ex virtutibus, quæ veram magnitudinem efficiunt, velint æstimare, &c. *minor.* Hæc regula magnitudinem dimetiendi locum in Regno Christi maximè sortitur, quæ divinæ Sapientiæ judicio eâ unicè mensurâ definitur, quòd quis Christo veræ magnitudinis ideæ, morum & vitæ conformitate sit similior. Plura in rebus creatis magna vocamus, non quod magna sint, sed quòd parvi nobis majora obstu-

ſtupeſcamus, aut ea cum minoribus aliis conferamus. Solus Deus in ſe ita abſolutè magnus eſt, ut citra comparationem magnus appellari mereatur. Ex cæteris verò rebus eæ quoque magnitudinis æſtimationem promerentur, quæ plùs de Deo participant, propiùs aliquo modo ad ejus ſimilitudinem accedunt. Effigiem aliquam ſuæ magnitudinis Deus in Chriſto noſtris oculis ſubjecit, in quo, Deo & homine ſimul, nihil non magnum reperitur. Parvus videbatur ſponteneâ ſui ad infima quæque demiſſione; ſed vel in hac tenuitate fuit maximus. Et ſi à divino Patre idem nobis pro norma propoſitus eſt, quam imitando Deo ſimiles evadamus, ſi hunc audire & ſequi nos deſiderat, in quo ſequemur, quid audiemus potiùs, quàm ut minimi efficiamur, ſicut minimum ſe exhibuit, id eſt humillimum? Patravit prodigia, &c, non hæc à ſe diſci cupit, ſed humilitatem, *Matt.* 11. 29. Hanc totâ vitâ tot exemplis, modis, & factis docuit. *Fiat enumeratio.* Sancti, qui ſtudebant Chriſto eſſe maximè conformes, hanc ſimilitudinem animi Demiſſione conati ſunt exprimere. Et certè hæc virtus proprius Chriſti character eſt, hæc ejus veriſſima imago, hæc compendium eorum, quæ dixit & fecit. *Complexio.* Quis jam neget illum Chriſto eſſe ſimillimum, qui humillimus fuerit, atque idcirco eundem quoque in Regno cælorum

esse maximum, quòd maximo sit ea in re simillimus ac proximus, quæ propriam ipsius formam unicè constituit?

IX. Argumentationis 2. Partis *Major.* Atq; hæc universim ita statuta speciatim ad præsentis sermonis scopum transferamus. Illud igitur modò enucleandum restat, quòd S. Joannes, quem jure maximum à Salvatore dictum contendo, minimus, humillimus, & in hoc Christo simillimus extiterit, h. e. præ aliis Sanctis honores, etiam quos licitè potuisset admittere, Christi exemplo studiosè fugerit, infiméque de se & senserit & locutus fuerit. In quem finem tametsi præ omni alio argumento sufficere posset solum Christi effatum, maximum illum fuisse pronuntiantis; cùm enim is contra Mundi sensum magna judicet, quæ huic parva videntur, si Dei sapientia teste & judice Joannes maximus fuit, apud se minimus, id est, humillimus fuerit necesse est; tamen non desunt argumenta, quibus S. Præcursoris humilitas perspicuè comprobetur. *Minor.* Atq; imprimis quò altioris dignitatis est, qui se deprimit, eò demissio animi est major & admirabilior. Sic Christus, &c. Quanta igitur sublimitas Joannis fuit? *Fuit homo missus à Deo. Joan.* 1. Quanta dignitas summi æterníque Regis Legatum esse! Vocatur à Deo per *Isaiam c.* 49. *servus Dei.* Quis nescit, Deo servire, esse regnare? Appellatur *à Malach.* 3. 1. An-

Angelus & Præcursor Domini: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Qualis excellentia! Ejus nativitas ab Angelo prænuntiatur, unáque à cœlo jubetur vocari *Joannes*, quod nomen *gratiam* significat; quo quid aliud indicabatur, quàm ipsum specialib⁹ gratiis à Deo exornandum? Non nascitur peccator, more cæterorum, sed jam in utero sanctificatur: quanta prærogativa! Veritas ipsa divina eum vocat *Plus quàm Prophetam. Matth.* 11. &c. Si originem & stemma consideremus, fuit è sacerdotali & regio; quódque maximum est, Regis Regum Christi cognatus. Quanta ipsius sanctimonia in Eremo! &c. quæ vera coram Deo sublimitas est. Quot tituli laudis, honoris, dignitatis! &c. Altum vidimus: jam tantò humiliorem ad imitationem Christi videamus, quantò reipsa sublimior erat. Atque imprimis ut stemmatis sui claritatem tegeret, in teneris annis divino spiritu impellente in eremum secedit. Hîc verò, velut alio cibo humano indignus, ex melle & locustis victitat. Ibidem carnem innocentissimam quàm austerè tractat! scilicet peccator videri voluit in gratia jam stabilitus, &c. At non potuit diu latere tanta lux sanctitatis, ne Hierosolymam & omnem regionē pervaderet. Missi ad ipsum Sacerdotes & Levitæ interrogant: *Tu quis es? Quid dicis de te ipso? Joan.* 1. Videbatur nempe hæc vita, tam re-

remota à comodis, commercio cum hominibus, &c; contrà verò traducta in rigidissima pœnitentia, frigore, æstu, fame, &c. non hominis esse, sed Angeli. Aut si hominem crediderunt, putârunt certè, esse illum à tot sæculis promissum Messiam, Redemptorem orbis. Quid Joannes? (*fieri hîc posset Suspensio cum Subjectione*) Séne Prophetam vocat, quod encomium ei Veritas tribuit, imò plus quàm Prophetam? &c. Sed horum nihil sibi sumit. Messiæ saltem Præcursorem se fatetur? Angelum, &c? Audio dicentem: *Non sum ego Christus*: & rectè id quidem, &c. Instant Legati: *Elias es tu*? Negat Joannes. Quid hoc? Negat? Christo affirmante: *Si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. Matth.* 11.14. prædicente Angelo: *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ. Luc.* 1.17. O insignem animi modestiam! &c. Quid ergo de se dicet? Id, quo minus & vilius nihil est: *Ego vox clamantis in deserto. Joan.* 1. Quid voce vilius, quæ perit, dum oritur? Neque se vocem tantùm, sed ex vocibus ipsis viliſſimam nominat, *clamantis* videlicet, non in luce Mundi, non in aulis, &c, sed *in deserto*, loco tenui, inter bestias, &c. Quin, ut omnem penitus de se sermonem præcidat, eum mox ad Christum transfert. In quo ipso quantopere se rursum deprimit: *Non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti ejus. Illum oportet crescere, me autem minui.* Potéstne minor fieri

fieri, quàm se ipsum faciat ? Quis satis hanc animi modestiam, & honoris fugam miretur ? Verè magna res, ut ait S. Bern. & rara in terris humilitas honorata, & sic honorata, ut in S. Joanne, qui ut honore omnibus hominibus post B. Virginem prælatus est, ita se infra res omnes abjecit. Obstupui aliàs Franciscos NN. &c. Sed quid ipsorum demissio cum hac collata? &c. *Complexio.* Verè post Christum & B. Virginem se fecit omnibus minorem, dum se tantò profundiùs depressit, quantò fuit altiùs elevatus. Verè Christo simillimus fuit animi demissione &c, atque ob hanc ipsam causam in Regno cælorum maximus.

x. *Confutatio.* Unicum adhuc scrupulum suspicor in animis auditorum residere, quòd Christus laudibus Joannis subdiderit : *Qui autem minor est in Regno cælorum, major est illo.* Innuit, alium sanctum ipso minorem esse, ideóque in Regno cælorum majorem. Annuo : nam B. Virgo, magis ipso honorata, contemptis honoribus summè se deprimendo haud dubiè major effecta est, &c. Hac exceptâ, maximum esse inter puros homines S. Joannem, repeto. Sensus ergo verborum Domini esse potest: Qui ipsum humilitate superat, ut mea Mater, major est; major esset etiam alius, si quis superaret. &c. Maximè verò Christus his verbis se-ipsum indicavit, ne videretur tacitè sibi quoque

quoque Joannem prætuliſſe, cùm ipſe haud dubiè in ſuo regno fuerit humillimus, licèt maximus, & vel ideo humilitatis magìs ſtupendæ, quò fuit dignitatis eminentioris.

XI. *Epilogus.* Minimum vidimus S. Joannem, & maximum: maximum idcirco, quia in ſua parvitate voluntaria maximo Regi Chriſto in Regno cælorum ſimillimum. Nemo jam miretur, quòd Eccleſia hodiernum Feſtum cum tanta ſolennitate celebret, feſtivi ignes paſſim reſplendeant, &c. Debetur honor maximo in regno cælorum, qui, ut loquitur S. Ambroſ. *Præcellit cæteros, eminet univerſis, antecellit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas; & quisquis de muliere natus eſt, inferior eſt Joanne.* Is honor tantò magìs ei debetur, & probante Deo digniùs nunc redditur, quantò ſtudioſiùs eum, cùm viveret, declinavit, & fugiendo ſe illo digniorem demonſtravit. &c. Cur non etiam nos, qui tam avidè magni eſſe cupimus, veræ tali magnitudini, quæ apud Deum eſt, inhiamus? ſola hæc magnos & unà æternùm felices reddere poteſt, quam veram & ſolidam infinita Sapientia agnoſcit, quæque in ſpontaneo deſcenſu ad infima conſiſtit. In Regno Chriſto Regi proximi eſſe cupimus? ibi eum quæramus oportet, ubi S. Joannes aliíque Sancti ipſum quæſierunt ac invenerunt. Collocavit autem ſeſe in conditione ſervi, in ſtabulo, in officina fabri, ad pedes Judæ,

in

in cruce inter latrones; verbo, in infimo. Hic locus in Regno Christi est dignissimus; huc se demittat, qui cum cæli proceribus aliis proximus Regi optat assidere. Ita judicat Sapientia Dei; aliter verò sapientia hujus Mundi, quæ amplitudinem nominis, honores, &c, consectatur; sed eadem sapientia Mundi *Stultitia est apud Deum.* 1. Cor. 3. 19.

CAPUT XVI.

Paradigma X. orationis, quæ concurrenti geminæ solennitati congruit.

De talibus orationibus mentionem feci in superioribus, ubi duo exempla dedi, quorum alterum hîc dilatandum resumo, orationis habitæ in Primitiis Sacerdotis, quæ in Dedicatione Templi celebratæ sunt.

In illud ex Evangelio Dedicationis: *Hodie salus domui huic facta est.* Luc. 19. v. 9.

Argumentum orationis: *Major causa reverentiæ & lætitiæ ex consecratione Sacerdotis, quàm ex consecratione Templi existit.*

1. PRima designatio hujus orationis, cujus summam continet hic Syllogismus primarius: *Cùm utrinq; agatur de consecratione Domûs Dei, vivæ & lapideæ, inde existit major causa reverentiæ & lætitiæ, unde major salus, h. e. sanctitas*

tas & utilitas provenit : Major sanctitas & utilitas provenit ex consecratione Sacerdotis, quàm ex consecratione Templi. Igitur major causa reverentiæ & lætitiæ ex consecratione Sacerdotis, quàm ex consecratione Templi existit. Exordium proponit geminam causam habendi hanc orationem. *Propositio* indicata est supra in Argumento. *Partitio* ponitur in Minore primariæ argumentationis. Argumentatio 1. *Major sanctitas confertur in consecratione Sacerdoti, quàm Templo : major est ergo causa reverentiæ pro illo, quàm pro hoc. 2. Major item habetur utilitas à Sacerdote, quàm à Templo : major igitur causa lætitiæ. Epilogus* fit ex Complexione Syllogismi primarii. Subjungitur dein Gratulatio. Amplificatio sic potest institui.

11. *Exordium.* Duarum domuum Dei consecratio, gemina salus facta, binæ solennitates hodie occurrentes, animum meum in diversa rapiunt. Olim hac die istud Templum consecratum est, atque ita *Salus domui huic facta est,* quia ex domo lapidea per consecrationem factum est Templum, domus orationis, & impetrationis, domus convivii cælestis, & gratiarum divinarum ; paucis, domus, habitatio, & sanctuarium Dei. Etiam quilibet Christianus per Baptismum fit Templum Dei, dicente Apostolo ; *Vos estis Templum Dei. 2. Corinth. 6. 16.* Tale Templum Dei nuper specialiùs insuper consecratum per Ordinem sacerdotalem novam sancti-

ctitatem per gratiam istius Sacramenti accepit: *Salus domui huic facta est*, & hodie in domo hac altera Dei primò sacram sui Ordinis functionem publicè obit. Ecclesiis, tanquam Dei domibus, maxima reverentia debetur, & earum Dedicationis festum jam antiquo more maxima cum lætitia celebratur. Sacerdotibus, tanquam Dei Ministris, pari modo reverentiam deberi, etiam gentiles in suis agnoverunt: nostrorum verò Primitiæ pariter magna cum solennitate peraguntur. De ambabus his solennitatibus loqui luberet: at quamnam, relictâ alterâ, præferam? *Hodie salus* utrique *domui huic facta est*, & lapideæ, ut videtur, major, cùm olim isto die dedicata honorem habeat primum sacrificium recèns consecrati sacerdotis hac ipsa die complectendi. Quid moror? Illi deserviat mea oratio, cui ex duobus his Deo consecratis Templis major inest causa reverentiæ, major causa spiritualis gaudii, cui pro se & pro aliis major salus facta est. Utrum duorum hæc concernere judicetis, ignoro: ego quid sentiam paucis aperio. *Propositio & Partitio.* Major, mea quidem opinione *Salus facta est*, h. e. major sanctitas & utilitas pro se & pro aliis collata, ideóq; major debetur reverentia propter sanctitatem, gaudium propter utilitatem, sacerdoti, tanquam Templo Dei, recèns specialiter consecrato, quàm Templo materiali, olim dedicato. Utì ex ge-

gemino hoc capite, magis nonnihil explicato, mox patebit.

III. *Confirmatio.* Argumentationis I. partis *Antecedens.* Catholicorum Templis competit haud dubiè magna reverentia & veneratio, magnum gaudium, quot annis renovandum; cujus plures causas SS. PP. afferunt. Sunt enim locus adorationis, in quo Deus sæpissimè iterata nostra homagia exspectat. Orationis, à qua cùm omne nostrum bonum proveniat, decet ipsum quoq; locum, in quo ea peragitur, nobis esse religiosum. Templa hæc sunt locus per sacros ritus ab Episcopo consecratus, & singulariter Deo dicatus. Plurima eorum sunt habitatio Christi, in Eucharistia corporaliter præsentis, &c. Locus Sacrificii ejus tremendi, quod &c. Merentur itaque, tanquam locus sacer, &c. venerationem. Veruntamen, si quid istæ rationes probant, eodem modo evincunt, majorem Sacerdotibus reverentiam deberi. Vereor, ut multis ingratus sit hic sermo, existimantibus, sacerdotes, dum de reverentia, statui suo debita, loquuntur, id honoris appetitu agere. Sed falluntur enimverò, qui sic judicant. SS. Patrum humillimi, ab omni aliàs vel umbra honoris alienissimi, eum sibi, tanquam sacerdotibus, delatum admittebant, gnari, non tam homini, quàm Deo, cujus sacerdos est minister, deferri. Videtur sanè hæc reverentia

tia vel ab ipsa natura & ratione humana dictari, cùm barbari, nulla ad id lege instituti, sacrificulos suos venerari noscantur. Sacerdotes Vet. Legis, qui figura tantùm nostrorum erant, sicut eorundem sacrificia nostri, portabant in fronte laminam auream, inscriptam: *Sanctus Domino.* Quam idcirco venerationem S. Paulus tali sacerdoti exhibuerit, etiam postquam Lex vetus desiit, Acta Apost. c. 23. testantur. (*Potest afferri & exponi is locus*) Quid? quòd etiam Angeli Sacerdotes Novæ Legis honore speciali prosequantur? Legimus in Vita S. Francisci Salesii P. 4. c. 4. &c. *Recenseatur factum.* Etverò si Templis ideo reverentia convenit, quia sancta sunt ob frequentem in iis SS. Sacrificii celebrationem, ob Christi in iisdem habitationem, ob ritus & sacras preces in Dedicatione adhibitas, ob eam denique causam, quia sunt locus adorationis, precum, & impetrationis; quantò major est sanctificatio, quæ sacerdoti per Ordinationem confertur, atque hinc quantò amplior veneratio debetur? Ordo est Sacramentum à Christo institutum, quod more cæterorum confert gratiam sanctificantem, & per impositionem manuum Episcopi gratiam insuper particularem Spiritûs S. ad munus suum ritè obeundum. Quæ gratia non est solùm sanctitas aliqua extrinseca, sicut illa Templorum, sed homini recipienti intrinseca & spiritualiter eidem unita. Quantò

tò jam ſanctior eſt homo, gratiæ capax, Templo, quod illius eſt incapax? &c. Quantò idem ſanctior, ut qui vi ſuæ Ordinationis ſpecialiter deputatus eſt, ut ſit Dei & Eccleſiæ Miniſter, qui nomine Chriſti & Fidelium quotidie offerat illud gratiſſimum Deo, nobis utiliſſimum ſacrificium, quàm tantùm locus, in quo iſtud peragitur? Quàm uberes gratias ſacerdos illud toties celebrando recipit, quas Sacramenta in dignè ſuſcipiente ſolent operari; cùm contrà à talibus Sacramentis Templa ſolùm impropriè ſanctificentur! Neq; ſibi ſoli ſacerdos ſanctificationem accipit, ſed per Ordinationem fit inſtrumentum ad illam in aliis quoque operandam, utì paulò pòſt pluribus declarabo. *Conſequens.* An non igitur incomparabiliter major ineſt ſanctitas ſacerdoti, quàm Templo? &c. Obiicientur hîc mihi ſacerdotes illi, qui malè, proh dolor! vivendo adeò nihil ſanctitatis oſtendunt, nihil venerationis mereri videntur. Sed, ſi qui tales ſunt, ſibi ſunt mali; cæterùm culpabilis vita nihil debet detrahere ipſorum venerationi. Manet nihilominus ipſis munus Vicariorum Chriſti, Miniſtrorum Dei & Eccleſiæ, character, executio frequens divinorum Myſteriorum, occaſio augendi gratiam in ſe & aliis per frequentiam Sacramentorum. *Similitudo* de Miniſtro Principis hîc congruet. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti*

Christi & dispensatores Mysteriorum Dei.1.Cor.4.1.
IV. Argumentationis 2. Partis *Antecedens.* Salomon 3. *Reg.*8. Dedicationem Templi solenniſſimè celebravit. Etiam hodie Chriſtiani quotannis &c. Ambo rectè, *Quia hodie salus domui huic facta est*, Templo & Fidelibus, quos nonnulli Interpretes per *Domum* intelligunt, ob beneficia & utilitates, quas ex domo Dei percipiunt. Verùm enimvero major utilitas ex ſacerdotibus hauritur; major igitur cauſa lætitiæ, &c. Non me fugit, oppoſitum aliquos ſentire, qui videntes, augeri ſacerdotes, dicunt: *Multiplicâsti gentem, non magnificâsti lætitiam. Isai.* 9. 3. At ſi utilitas eſt cauſa gaudii, hujus cauſam planè habemus plures fieri ſacerdotes videndo. Non loquor de utilitate, quàm ſacerdos ipſe percipit (quamvis, ſi Charitatem haberemus, de hac quoque gauderemus) ex tot Sacramentis & mediis ſalutis, &c; ſed de noſtra, quæ ex piis & doctis ſacerdotibus naſcitur. Ridiculum nonnemini videatur, ſi dicam, multitudinem talium eſſe Dei favorem, paucitatem verò ipſorum non vulgarem punitionem; & tamen dicit Deus: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & emittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Amos* 8. 11. Toties igitur gaudendum, quoties novus mittitur, qui poſſit panem animæ, Verbum Domini, fidelibus frangere. Unde tempore Lutheri & Calvi-

ni

ni tanta perversitas, nisi ex hoc defectu? Præterea sacerdotes sæpe imolant Hostiam placationis, quæ eandem vim habet, sive Minister bonus sit sive malus, quia primarius imolans est Christus, per quam Hostiam tot nobis gratiæ accedunt, tot mala removentur. Quis scit, quantis premeremur, nisi quotidie &c. An non hæc solida causa gaudii? Peccamus sæpe, &c. Sacerdotibus est potetas absolvendi nomine Christi; neque enim solis Apostolis dictum est: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Joan.* 20.23. verùm etiam eorum successoribus. An non nova causa gaudendi, quòd plures sint, qui &c? Denique omne nostrum bonum habemus à Deo, sed non nisi per orationem. Atqui unum non ex postremis officiis sacerdotum est, ut per preces Canonicas quotidianas sub gravi obligatione pro fidelibus orando gratias obtineant, &c. Quantæ istæ utilitates! *Consequens.* Nunquid idcirco gaudendum, dum novus quispiam ordinatus est, qui vi sui muneris &c. Anacephalæosis capitum hujus partis.

v. *Epilogus.* Quare si Templis consecratis reverentia debetur propter sanctitatem, gaudium propter utilitatem, major reverentia debetur sacerdoti ob sanctitatem majorem, quam ex Ordine & Sacramentis adipiscitur; majorem decet ostendere lætitiam ob utilitatem, quam fideles ex hoc quàm ex Templis

plis majorem trahunt. Quæ cùm ita sint, primus ego nomine omnium præsentium reverenter accido recèns consecrato sacerdoti, & rogo, ut primam benedictionem omnibus impertiatur, &c, nos sacrificii primi participes faciat & precum, &c. Simul eidem novam dignitatem gratulor, quæ tanta est, &c. Primus quoque gaudium ob ejus Ordinem testor, indéque magìs, quòd per Cõunionem Sanctorum, quæ in Ecclesia est, confidam, mihi quoque ex ferventibus ejus precibus, quas ex mandato Ecclesiæ peraget, cum omnibus præsentibus fructum uberem concedendum, &c.

Conclusio hujus Opusculi.

Atque hæc de arte oratoria, præsertim sacra, tibi, amice lector, conscribenda videbantur; pauca, si artis istius amplitudinem ex magnis aliorum super eâdem editis voluminibus dimetiaris; multa satìs, si hæc non legere solùm, verùm etiam considerare velis, quomodo ipse pro sacris aut aliis orationibus applicare possis. Plurima haud dubiè & præcepta & exempla supereſsent: sed cur etiam ego librum tibi porrigerem evolvendum, simúlque mole

le abſterrerem, ne legas? Sufficere hæc poſſunt diligentiam cum ingenio conjungentibus; alterutro autem deſtitutis nec integræ bibliothecæ, de Rhetorica confectæ, proderunt. Quod unum ad calcem hujus lucubrationis propenſiſſimo animo precor, eſt, ut hic qualiſcunque meus labor tibi cedat ad facilitatem orationes bonas & proficuas minore negotio componendi; animabus plurimis, quas tuæ illæ conciones dirigent, ad ſalutem; præcipuè verò, quam unicè hac ſcriptione propoſitam habui, opto, ut ſerviat

Ad majorem Dei, Deiparæ, & Sanctorum Cælitum gloriam.

IN-

INDEX
Rerum ac Verborum.
A.

Adagium. Pag. 180
Adjuncta Locus orat. 20. utilis etiam pro dilatatione. Ibid.
Adjunctio Figura verb. 192
Adversa Locus orat. 18
Æmulatio Affectus. 62
Ænigma. 181
Affectus movendus. 43. Quid, quotuplex, ubi excitandus. 44. Quomodo. 45. Unde petatur. 46. Figuræ, quæ possunt adhiberi. 48. Circa Affectus observanda. 64. & seq. Iterum 146. Eorum locus in Oratione. 107
Allegoria. 180. In ea cavendum. 181
Amplificatio rerum. 38. Ejus varii modi. Ib. Quando adhibenda. 42
Amplificatio verborum quid sit. 66. Ejus fundamentum Ratiocinatio. 67. Methodus per hanc dilatandi. Ibid. & seq. Verba ad eãm idonea. 87. In quo consistat dilatatio. 89
Amplificatio verborum per locos oratorios. 90. Per Figuras. 91. Per Thesin & Hypothesin. 95. Per Locum communem. 97. Per Chriam. 99. Per Historias breves. 101. Per Eruditiones. 103. Circa hanc amplificationem notanda. Ibid.

Amor Affectus. 48
Annominatio Figura verb. 193
Antecedentia & Consequentia Locus orator. 22
Anteoccupatio Figura sent. 201
AntithetonFigura verb. 195
Antonomasia Tropus. 178
Aposiopesis Figura sent. 206
Apostrophe Figura sent. 205
Argumenta quid sint,&quotuplicia. 8. Unde inveniantur. 9. Quo ordine disponenda sint. 107
Argumentatio quid & quotuplex. 71. Quomodo ab Oratoribus tractetur. 73. Et varietur. 80
Attentio quomodo captanda. 111
Auctores pro concione dicere incipienti & notatis destituto utiles. 245. &seq.
Audacia Affectus. 56

B.

Benevolentia in Exordio quibus mediis obtineatur. 110
Bonum quid sit. 249. Quid bonum majus vel minus. 250. Regulæ cognoscendi majus bonum. Ibid. & seq. Quomodo hujus cognitio serviat pro Generibus Deliberativo & Exornativo. 258
Brachiorum gestus. 239

C.

Capitis gestus. 238

Catachresis. 179
Causæ Locus orator. 23
Chria. 99
Ciaston & Chiasmus. 218
Collectio species argumentationis. 78. Paradigma orationis in ea fundatæ. 352
Colli gestus. 239
Comminatio Figura sent. 217
Commiseratio Affectus. 59
Commoratio Figura sent. 216
Communicatio Figura sent. 202
Commutatio Figura verb. 196
Compar Figura verb. 195
Comparatio triplex, Locus orator. 27. Figura sent. 217
Compensatio Figura sent. 213
Complexio Figura verb. 188
Concessio Figura sent. 208. Juncta Ironiæ. 209
Conduplicatio Figura verb. 188
Confirmatio. 140
Confutatio. 141. Ejus usus. Ibid. In ea cavendum. 142. Ipsius ordo. Ibid. Modus. 143. & seq. Figuræ pro eadem idoneæ. 145
Congeries Figura sent. 215
Conjugata Locus orat. 14
Contrapositum Figura verb. 195
Contraria Locus orator. sunt quatuor. 18
Conversio Figura verb. 188
Copia Materiæ in Panegyricis. 281

Correctio Figura verb. 197. Et sentent. 201
Crinomenon. 5

D.

Definitio Locus orator. 11
Deliberativum genus orationum. 3. In eodem observanda. 31
Deponere apud memoriam auditorum, & reposcere. 218
Deprecatio Figura sent. 211
Descriptiones oratorum, & earum modus. 11 & seq.
Desiderium Affectus. 49
Desperatio Affectus. 54
Dialogismus. 203
Dilemma. 76. An & quomodo solvi possit. 77. Paradigma orationis per Dilemma deductæ. 344
Disjunctio Figura verb. 192
Dispositio. 4. Quonam ordine partes orationis ponantur. 105. & seq.
Dissimilitudo Locus orator. 18
Dissolutio Figura verb. 191
Distributio Figura sent. 211
Divisio. Vide *Partitio*.
Docilis in Exordio quomodo fiat auditor. 112
Dubitatio Figura verb. 197. Et sentent. 201

E.

Effecta Locus orator. 26
Efficiens Causa. 24

Elocutio. 4. 149. In quibus istius ornatus consistat. 150. Quis in ea delectus verborum habendus. Ibid. & seq.
Emphasis Figura sent. 206
Enthymema. 74. Paradigma orationis in Enthymemate fundatæ. 319
Enumeratio partium Locus orator. utilis pro argumentis & dilatatione. 14
Epicherema. 78
Epilogus. Vide *Peroratio.*
Epinicium. 264
Epiphonema Figura sent. 212
Epithalamium. 264
Epithetis quomodo utantur Oratores. 178. & seq.
Eruditiones quid & earum usus. 103
Ethopæia Figura sent. 204
Etymologia. 13
Eucharistica oratio. 265
Exclamatio Figura sent. 212
Execratio Figura sent. Ibid.
Exemplaris Causa. 26
Exemplum species argumentationis. 75. Paradigma orationis ab Exemplo formatæ. 330
Exercitatio. 4
Exordium quid & quotuplex. 110. Tria præstet. Ibid. & seq. Quando hæc tria quærenda. 112. Exordii virtutes. 113. Vitia. 115. Idem post alias partes inventas excogitandum. 117. Modi varii. 118
Ma-

Materia unde petenda. 119. Ejusdem argumentatio. 122. Affectus leniores. Ibid.
Exornativum genus orationum. 3. Diversimodè appellatum. 261
Expolitio Figura sent. 216

F.

Fabulosa narratio, rarò adhibenda, docet, oblectat, movet. 137
Figura quid. 183. Differt à Tropo. Ibid. Quotuplices sint Figuræ. 184. Quot numero celebriores. Ibid. Circa earum usum observanda. 185. 219.
Figuræ verborum per Adjectionem. 187. Per Detractionem. 191. Per Similitudinem vocum. 193. Sententiar. 198. &213.
Finalis Causa. 24
Finis artis oratoriæ. 1
Forma Locus orat. 7
Formalis Causa. 24
Fuga Affectus. 8
Funebris oratio. 266

G.

Gaudium Affectus. 50
Genethliaca oratio. 262
Genus Locus orator. 17
Gestus quid sit. 237. In eo universim observanda. ibid. & seq. Qualis conveniat capiti, vultui, oculis. 238. Collo, humeris, brachiis, pedibus. 239. Manui. 240. In quibusdam rebus particularibus. 241.
Gradatio Figura verb. 190

Gratia Affectus. 63

H.

Hiſtoriæ. 101
Humerorum actio. 239
Hyperbaton. 181
Hyperbole. 182
Hypotheſis. 2. Eadem ad Theſim tradu&ta pro amplificatione verborum. 95
Hypotypoſis Figura ſent. 204

I.

Idea orationis ante ejus compoſitionem formanda. 109. Ejus exempla. 283. & in ſequentibus capitibus.
Imitatio. 5
Inauguratio Principum. 267. In iiſdem recipiendis oratio. 268
Inciſum pars Membri. 161. Seorſim extra Membrum. 162. Inciſim dicere. 163
Incrementum Figura ſent. 216
Indice librorum quomodo utendum. 249
Indignatio Affectus. 61
Inductio ſpecies argumentationis. 74. Paradigma orationis per hanc confe&æ. 37
Inopia materiæ in Panegyricis. 278
Inſinuatio quid & quando adhibenda. 118
Inſtructivum genus orationum. 3
Interpretatio Figura ſent. 214
Interrogatio Figura ſent. 198 &ſeq.
Interruptio Figura ſent. 206
Inventio quid. 4. Ejus ordo. 5. 7.

Invidia Affectus. 61
Ira Affectus. 57
Ironia Tropus. 182. Ex quibus cognoscatur. 183. Figura sent. 210
Isocolon Figura verb. 195
Judiciale genus orationum. 3.39

L.

Lamentatoria oratio. 264
Laudis materia & objectum. 32. Laus hominis. 33. Laudis ordo. 34. Modus. 36. Laus Cætûs religiosi. 37. Regionis. ibid. Urbium. Ibid. Laus virtutis ex quibus capitibus exornetur. 269
Licentia Figura sent. 208.
Locus communis Amplif. verb. 97. Ejus partes. 98. Utilitas in laude, ubi deest materia. 99
Locus oratorius quid & quotuplex. 9. 10. Loci intrinseci. 10.28. Extrinseci. 11.29
Lustrica oratio. 263

M.

Mansuetudo Affectus. 58
Manûs actio. 240
Materialis Causa. 23
Membrum pars Periodi. 160. Seorsim extra Periodum. 161. Membratim dicere. 163
Memoria quid. 4. 220. Quotuplex. Ibid. Ejus exercitatio necessaria. 221. 223. Ex scripto discendum. 222. De verbo ad verbum, an de sensu ad sensum ? Ibid. Memo-

moriæ adjumenta. 223. & seq. Impedimenta. 224
Metalepsis. 179
Metaphora. 175. Quot modis fiat. 176. Cur fiat & oblectet. Ibid. Ejus vitia. 177
Morale genus Orationum. 3
Moralis Causa. 25

N.

Narratio vera, fabulosa, oratoria. 136. Quatuor dotes habeat. 137. & seq.
Negantia Locus orat. 19
Notatio nominis Locus orat. 13. 279
Numerus oratorius quid. 169. Ejus Leges. 170. Eidem contraria. 171. Observationes hunc & Periodum ex parte spectantes. 173

O.

Obsecratio seu Obtestatio Figura sent. 211
Oculorum actio. 238
Odium Affectus. 51
Onomatopæia. 179
Oppositio Figura sent. 215
Optatio Figura sent. 212
Orationum genera diversa. 3. Orationis partes primariæ. 7. 105. Quænam ex his semper necessariæ. 106

P.

Panegyrici componendi artificium. 269. Ejus Stylus. 270. Exordium. 272. Narratio & Confirmatio. Ibid. Confirmationis

nis dilatandæ modus. 273. Epilogus. 275
Panegyrici ſacri, ad mores accommodati, Methodus. 276. Copia & inopia materiæ in Panegyricis. 278. Paradigmata Panegyricorum per argumentationes dilatatorum. 358. & 366
Paradigma orationis ſine argumentatione factæ. 283. Factæ per Syllogiſmum. 291. & ſeq. Aliud, ubi Major & Minor indigent probatione. 305. Aliud exemplum in ſimili. 313. Factæ per Enthymema. 319. Per Inductionem. 327. Per Exemplum. 330. Per Soriten. 337. Per Dilemma. 344. Per Collectionem oratoriam. 352. Orationis Paneg. per argumentationem factæ. 358. Aliud Paradigma. 366. Orationis, concurrenti geminæ ſolemnitati congruentis. 375
Parentheſis Figura ſent. 210
Paronomaſia Figura verb. 193
Partitio orationis quid. 128. Ubi adhibenda. Ibid. Ipſius partes. 129. Leges. Ibid. Unde ſumatur. 131. Fieri poteſt per Diſtributionem Figuram ſent. 211
Pedum ſupploſio in actione. 239
Periodus quid. 160. Ejus partes Membra & Inciſa. Ibid. Species Periodorum duæ. 162. Quam longæ fiant. 163. In iis obſervanda. 164. Periodicè dicere. 163. Periodorum pedes. 165. & ſeq. Periodi par-

partes quomodo dilatentur. 167. Particulæ pro earum nexu. 169
Periphrasis. 180
Perisologia vitium orationis. Ibid.
Permissio Figura sent. 209
Peroratio quid. 145. Ejus partes. 146. &seq.
Quàm longa esse possit. 148
Pœnitentia dicti, Figura sent. 218
Polyptoton Figura verb. 190
Polysyntheton Figura verb. Ibid.
Præteritio Figura sent. 207
Privantia Locus orat. 18
Prolepsis Figura sent. 201
Pronuntiatio quid. 4. 227. Quantum ei tribuerit Cicero. Ibid. Varia est pro diversitate rerum. 228. Vox quo modo sit moderanda. Ibid. & seq. Quo modo Gestus. 237. & seq.
Propositio quid & quotuplex. 2. 122. Sit practica & finita. 2. Unde petenda. 6. Ubi collocanda. 123. Ejus Leges. Ibid. Quomodo vulgaris evadat nova. 126
Prosopopæia Figura sent. 204
Pudor Affectus. 63

Q.

Quæstio quotuplex 2

R.

Relata Locus orat. 19
Repetitio Figura verb. 287
Repugnantia Locus orat. 23

Re-

Reſponſio Figura ſentent. 200
Reticentia Figura ſentent. 206.

S.

Similiter cadens Figura verb. 194
Similiter deſinens Figura verb. ibid.
Similitudo Locus orat. 17
Simulat Orator, neſcire ſe vel dubitare, quid ſit dicendum, &c. 218
Sorites ſpecies argumentationis. 76. Paradigma orationis per Soriten factæ. 337
Spes Affectus. 53
Stylus oratorius quid. 152. Quis Stylus bonus & quotuplex. 153. Quibus materiis quiſque conveniat. Ibid. Vitia Styli. 155. Ejuſdem virtutes. 159
Subdiviſio. 135
Subjectio Figura ſent. 200
Suſtentatio Figura ſent. 206
Syllogiſmus ſpecies argumentationis. 71
Paradigmata orationum Syllogiſmo comprehenſarum. 292. & ſeq.
Sylva rerum ante ſcriptionem orationis paranda. 244. In quo hæc conſiſtat. Ibid. Unde paretur. 245
Synecdoche Tropus. 177. Figura. 191
Synœcioſis Figura verb. 192
Synonymia Figura verb. 190

T.

Theſis. 2. Amplificatio per Theſin & Hypotheſin. 95

Timor Affectus. 55
Totum & partes. 15. Quotuplex totum. ib.
Traductio Figura verb. 189
Transitio ab una parte ad alteram quid sit & quomodo fiat. 81
Tristitia Affectus. 52
Tropus quid & quotuplex. 175

V.

Vox in Pronuntiatione sit sonora. 228. Nitida & articulata. 229. & seq. Quomodo varianda in diversis partibus orationis. 231. In variis subjectis. 232. In Figuris. 233. In Affectibus. 234. In quibusdam verbis. 235. In Periodis. Ibid. Vocis defectus quomodo juvetur. 236
Vultûs compositio in Pronuntiatione orationis. 238

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


MOINE
Th
5805